IOANNIS TWINI BOLINGDVNENSIS, ANGLI, DE REBVS ALBIONICIS, BRITANNICIS ATQVE ANGLICIS, Commentariorum libri duo.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Ad Thomam TWINVM filium.

Cicero de Diuinatione, lib. 1.

Quis eſt quem non moueat clariſſimis monumentis teſtata, conſignatáq; Antiquitas?

LONDINI,
Excudebat Edm. Bollifantus, pro Richardo Watkins.

1590

Stephanus Baluzius Tutelensis.

5,

A

AVCTORES, QVORVM teſtimonijs hij Commentarij ſuffulciuntur.

A.

ADrianus Iunius.
AEgeſippus.
AElius Spartianus.
AEneas Syluius.
Ammianus Mercellinus.
Annius.
Antonius Volſcus.
Ariſtoteles.
Arnobius.
Auguſtinus.

B.

BAconus.
Barbarus.
Beatus Rhenanus.
Beda.
Beroſus.

C.

CApgrauius.
Cælius Rhodoginus.
Cicero.
Cornelius Tacitus.

D.

DIodorus Siculus.
Dion Caſſius.
Dom. Calderinus.

E.

EGidius Maſſerius.
Eraſmus Roterodamus.
Euſebius.
Eutropius.

F.

FIrmianus Lactantius.
Franciſcus Philelphus.

G.

GAlfred. Monumethenſis.
Galenus.
Glarianus.
Gulielmus Pariſienſis.
Gyraldus.

H.

HEctor Boëtius.
Herodotus.
Herodianus.
Hieronymus.
Honoratus Seruius.
Horatius Flaccus.
Huntingdunenſis.

I.

IAnus Cornarius.
Ioan. Lod. Viues.
Iulius Cæſar.

Laurentius

L.

Laurentius Valla.
Liuius.
Lucanus.

M.

Madocus.
Mancinellus.
Malmesburienſis.
Martialis.
Merimuthus.

N.

Nicephorus.

O.

Ouidius Naſo.
Oroſius.

P.

Perottus.
Philo.
Philoſt. Lemnius.
Plato.
Plinius.
Plutarchus.
Polyd. Virg. Vrbinas.
Pomponius Lætus.
Ptolomæus.

R.

Rhellicanus.
Rheinulphus Ciceſtrenſis.
Roffenſis liber manuſcriptus.

S.

Salomon.
Saluſtius.
Scribonius Largus.
Seneca.
Silius.
Solinus.
Stephanus.
Strabo.
Suetonius.

T.

Tertulianus.
Theophraſtus.
Timagenes.
Thornus.
Tritemius Abbas.
Tylberienſis.

V.

Valerius Flaccus.
Valerius Maximus.
Virgilius Maro.
Volaterranus.

X.

Xiphilinus.

Z.

Zieglerus.

PROBITATE, LITERIS, INGENIO, NOBILITATE ILLVSTRISSIMO, ROBERTO SACKEVILLO, THOMÆ BVCKHVRSTII Baronis honoratiſſimi maximo natu filio ac hæredi: THOMAS TWINVS *Artium ac Medicinæ* DOCTOR, S. P. D.

CVM ANTE OCTO ET AMpliùs iam elapſos annos, illuſtriſſime Sackeuille, *Ioannes Twinus* pater meus, vir multorum iudicio benè doctus, morti tùnc proximus ſenex, quòd parùm firma corporis valetudine, atque etiàm hebetiore oculorum viſione fuiſſet, quædam à ſe conſcripta meæ fidei commiſiſſet: ità cecidit certè, vt proptèr occupationes quaſdam meas ad aliquod tempus magis idoneum ſeponerem, vt cùm vacaret, ad eandem perluſtranda accuratiùs accederem. Quæ cùm ad rem hiſtoricam atque Antiquitatis cognitionem, in quibus, ob ſtudiorum meorum alienum quem inſtitueram curſum, minùs verſatus eſſem, pertinere ferè omnia intelligerem: ità meam in his collocandam operam exiſtimaui, vt vel ex annotationum theſauris, quos ille ex omni Antiquitate congeſſerat, integra volumina eáque ſimul omnia, quod valdè difficile erat, in lucem ederem, vel tanquàm de nunquàm perficiendis deſperans, quod penè impium erat, perpetuis tenebris deuouerem. Vicit tamen hoc conſilium meum, cùm ardens ſtudium in patrem amantiſſimum, tùm verò imprimis officium ergà te meum, quod effecit vt voluntas tua prò imperio mihi ſempèr habita ſit: vt qui Commentariorum eius opuſculi

partem

partem aliquandò me lectitante audieras, vt idem cùm Republica literaria communicarem, ſæpiùs obnixè adhortatus es. Quod opus igitùr cùm emittere tuis auſpicijs ſtatuiſſem, occurrebat ſanè multoties quàm parùm terſum & politum in doctorum manus peruenturum videretur: cui præterquàm quòd extrema in recognoſcendo auctoris manus non acceſſerit, non pauca quóque de iuſta hæreditate nouercali quadam iniquitate detracta, & itaque nonnulla deformitati adiecta ſunt. Cuius nitor nihilominùs ſatis clarè mea quidèm ſententia reſplendebit, ſiquidèm tibi vni placere contigerit, viro tot animi luminibus excellentibus prælucenti, tot corporis ornamentis egregijs decorato: quibus paterna virtus, Ingenium atque Dignitas quæ opinione omnium ſunt longè ſanè ampliſſima, teſtimonium quidèm perhibere luculentum, acceſſionem verò vllam nequaquàm afferre poterint. Nec dubito mehercule, quod tibi gratum erit, id pari viciſſim indolis candore tinctis, & emulantibus humanitatem, & approbantibus iudicium, fore acceptius: quæ duo ornamenta tantam tui excitauerunt expectationem, vt plurimos fallas oportet, niſi ijſdem omnes alios, adeóque teipſum indies ſuperaueris. Hos itaque de rebus noſtratibus Commentarios illi tuæ ſingulari humanitati inſcribo, qua, vt taceam alios, me non ità pridèm honorificè amplexus es, vt non minùs has patris mei lucubrationes in clientelam recipere digneris, auctoritatis pondere videlicèt, & nominis patrocinio aduerſùm quaſcúnque contumelias defendendo. Quod ſi haud grauatè, quod equidèm ſpero, præſtiteris: & demortui parentis manes, & viuentis filij ſtudium in immortale obſequium Dignitatis tuæ deuincies. Vale. Meridionali traiectu Leniſenſi.

IOANNIS TWINI BOLINGDVNENSIS, ANGLI, DE REBVS ALBIONICIS, BRITANNICIS *atque Anglicis Commentariorum* LIBER PRIMVS.

INſtituenti mihi, fili Thoma, eam antiquitatis memoriam quam à me ſæpenumerò efflagitaſti, repetere & committere his Commentarijs, quam de primis florentiſſimæ *Britanniæ* noſtræ cultoribus, prætèr vulgarem ſcriptorum opinionem ſæpiùs me diſputantem audieras: perardua ſanè res viſa eſt, vèl in tanta temporum iniquitate, homini libero quicquam literis mandare, ac quanquàm iuſtæ petitioni tuæ ſatisfacere, vèl quomodocúnque vacare criminatione, res multorum ſententia concluſas, in controuerſiam denuò reuocare. Sed cùm nihil vnquàm potuerit accidere cordi meo charius, quàm tuam iuuentutem omni cognitionis genere florentem intueri, quod cùm priuati ſudores mei in te inſtruendo, tùm illa tua *Oxonium* profectio ad vberiores bonarum artium fructus percipiendos, ſatis cumulatè prò me teſtari poterint: nolui operam meam vllo modo deeſ-

ſe ſtudijs tuis, nè quæ multorum antè hoc tempus in literis profectui fuerit adiumento, eius doctrinam parùm promoueret, quem eſſe omnium, ſi fieri poſſet, inſtructiſſimum cuperem. Itaque, cùm horas aliquot nec illas quidèm continuas, ſed annorum fortaſſis aliquorum ſuccifiuas, in mandando ſcriptis inſumpſerim, quæ olim legendo ac commentando obſeruauerim apùd probatos auctores: hoc opus tuo nomini præcipuè dicare volui, vt haberes quod poſtulaſti, videlicèt apùd te teſtimonium amoris ergà te mei ſempiternum. Et ſi quandò in ornatiſſimo collegio veſtro, à *Richardo Foxo* olim *Wintonienſi* præſule fundato, quem ego dùm eſſem puèr, honoratum ſenem ſed cæcum me vidiſſe memoria teneo, tantum ocij à neceſſarijs ſtudijs quandóque concedatur, quantum paucis hiſce pagellis euoluendis ſufficiat: ſatis equidèm abundè labori meo ſatisfactum arbitrabor. Quod ſanè percupio, & ſi me audies, hortor vt facias nonnunquàm: non dico noſtra ſcripta vt legas, quæ ſentio quàm ſint nugatoria, ſed vt antiquitatis cognitionem cùm Philoſophiæ lectione, átque hanc cùm illa ſempèr velis coniungere. Vt ſicùt ego feci in vniuerſo ſtudiorum meorum curriculo, qui cùm Grammatica, cùm Rhetorica, cùm Poëtis, cùm Oratoribus, cùm Hiſtoricis, cùm Mathematicis, cùm grauioribus ſtudijs, cùm docendi publico munere, & cùm priuatis commentationibus,

omnibus, antiquitatis ſpeculationem & monumenta rerum quę retroactis longè temporibus geſtæ ſint, copulauerim: auctor tibi ſim hoc ipſum tute itidèm vt factites. In quo, quantum ipſi profecerimus, aliorum eſto iudicium: cùm nonnullorum opinione forſitàn aliquid, noſtra ſanè non nihil habiti ſimus: néq; enim in profitendo quod cenſeam apùd te, arrogantiæ crimen quicquam pertimeſcam. Atque certè fuit mihi ſempèr hæc mens, quòd ſecundùm diuinorum oraculorum, in quibus æternæ ſalutis cuiúſque ſpes continetur, ignorationem, nulla potuerit eſſe grauior, quàm antiquitatis & hiſtoriarum imperitia, quarum luminis ſplendore depriuati homines, quàm iniquè de Deo omnium conditore, de mundo eius excellenti opificio, de ſeipſis, de patria & ſedibus ſuis quas incolunt, ſenſerint, non eſt ſinè ſummo dolore referendum. Quæ mihi cauſa ſatis iuſta viſa eſt, vt nunquàm non hiſtoriarum volumina qualiacúnque illa quidèm euoluerem, priuatim verò gentis noſtræ Britannicæ monumenta excùderem, vſque adeò, vt nulla penè dixerim pars eorum mihi inculta, nullus ſcriptor quantumcúnque barbarus non perlectus, nullus harum rerum omnium indagator ſtudioſus inſalùtatus abierit. Hos námque admirabar ſempèr vt ſummos viros, colebam verò vt venerandos patres, ferebam in oculis à prima adoleſcentia tanquàm diuinam quandam facultatem animo

prementes: tàm autèm auidè à narrantium ore pendere ſolebam, vt nulla vnquàm potuerit ferire aures meas iucundior oratio. Quarè, cùm me etiàm hodiè tàm ſuaui præteritorum ſermonum recordatione teneri non illibentèr profitear, effectum eſt ſanè, vt in grauiſſimarum perſonarum colloquio poſuerim, quicquid id eſt tandèm quod in præſentia de rebus *Britannicis* diſputare placuit: quandoquidèm plus ponderis habere ſolet oratio, quæ videtur ab ætate prouectioribus, doctiſſimis ſimùl átque grauiſſimis viris proficiſci. Ex multis verò quos ego egregiè ac pratèr cæteros colui dùm viuebant, cùm proptèr morum grauitatem ſummam, tùm rerum antiquarum cognitionem eximiam, fuerunt, ſi non nouiſti, *Ioannes Vochius*, & *Ioannes Digonius*. Quorum ille quidèm Abbas digniſſimus fuit, hic verò Prior integerrimus cænobij *Auguſtiniani*, quod olim *Ethelbertus Cantij* rex dùm *Angliæ* regnum *Heptarchicum* fuerat, rogatu *Auguſtini Anglorum* ad fidem Chriſti conuerſoris hoſpitis ſui, in honorem Apoſtolorum *Petri* & *Pauli* propè *Cantuariam* condidit: vtérque ſumma vitæ ſanctitate ſenex florentiſſimus. Tertius autèm vtróque ætate iunior, ſed plurimis nominibus mihi præ omnibus colendus, fuit ex præclara maiorum ſuorum gente *Nicholaus* ille *Wottonus*, adoleſcens illo quidem tempore eruditiſſimus, qui poſteà iuris vtriuſque Doctor conſultiſſimus,

ac

ac ædium Chriſti primus pòſt Monachorum excluſionem Decanus euaſit. Cuius literę,prudentia, virtus, cæteræque animi dotes egregiæ effecerunt,vt plurimis honorificis legationibus ad exteros principes ſatrapáſque perfunctus, in regis conſiliariorum numerum, átque ad regni gubernacula aſciſceretur. Hos quidèm tres viros clariſſimos, cùm familiaritate coniunctos cognouerim, ac ſæpiùs de omni antiquitate diſputantes audiuerim: pręcipuos mihi delegi qui in hoc opere diſſererent, quorum quémque ſat ſcio in eo ſtudio laudatiſſimam operam collocaſſe. Quocircà, *Vochio* proptèr ætatis & doctrinæ grauitatem, reſpondendi ac decurrendi partes detulimus: *Wottono* verò & *Digonio*, interrogandi. Ac cùm eſſet in *Wottono* rerum omnium ſcientia, vſque adeò vt eum nullius penè ignorantem audeas dicere: acceſſit etiàm acerrimum iudicium, quæ illi facultates ſatis erant, vt ad ſummum dignitatis gradum euectus, in ampliſſimo honore conſeneſceret.

Cæterùm, longè impar fuit honorati ſenis *Vochij* fortuna, qui cùm fuiſſet iure loci quem obtinebat, ſummi, vt vocant, Parliamenti Antiſtes: pòſt tot Abbates anteceſſores ſuos, vidit amota dignitate ſe redactum in priuatorum numerum. Sed hîc mihi non libet, néque propoſitum eſt religioſorum expulſionem, aùt Monaſteriorum demolitionem deflere, cùm

ſatis perſuaſum habeam tantam ſtructuræ molem quanta earum ædium omnium fuit, niſi iuſto Dei iudicio non concidiſſe, cui ob offenſas ſubiecta ſunt ruinam indiès minitando, quæcúnque ſol vidit vèl viſurus eſt in hoc mundo firmiſſima. Cùm enim Ciuitates, Reſpublicæ, Imperia totius orbis terrarum maxima, temporis diuturnitate deiecta in nihilum redacta ſint: parem quóque in rebus caducis omnibus viciſſitudinem expectare oportet, vt his contemptis, animus ad eum anhelare poſſit, apùd quem omnia ſunt præclara, nulli interitui obnoxia. Sed quoniàm attigi oratione rerum humanarum præſentibus átque poſteris expectandam commutationem, non perſequar altiùs philoſophando, ſed reprimam potiùs ſermonem meum decurſum proſequendo, nè propoſiti oblitus videar: átque ad *Vochium* Abbatem me conuertam. Ad quem iam æſtate *Stureia*, villulæ ad mille quidem paſſus vèl paulò ampliùs à *Cantuaria* diſiunctæ, de more ruſticantem, (in qua non ita multò pòſt excîſis monaſterijs, in luctu & ſquallore reuerendus ſenex contabuit) *Wottonus* doctus ille quidèm adoleſcens, & *Digonius* tùm ſanè monachus, non dùm tamèn in demortui Prioris locum ſuffectus, ſalutatum profecti ſunt, non ita pridèm *Louanio* digreſſi, doctiſſimúmque virum *Ioannem Lodouicum Viuem* in *Angliam* átque *Oxonium* proſequuti: quem ego in Collegio veſtro

Chriſti

Chriſti Corpori ſacro, commorantem noui, colui, átque publicè prælegentem audiui. Ad quem cùm veniſſent, átque ego quóque vnà ſtudio viſendi ſenem, complexus omnes, beneq; precatus aduentui, coniecit oculos in cælum, ac gratias, inquit, ago tibi immortalis Deus, plurimúmque gratulor vobis & mihi, ſuauiſſime *Wottone*, itémque *Digoni* frater, quòd vos ſaluos conſpicor in his terris, & hoc priuato domicilio. Speróque quòd veſtra nauigatio in patriàm fœlix fuerit, quæ certè qualiſnam vobis contigerit, dùm freti noſtri *Britannici* anguſtias tranaueritis, ſcire deſydero. Sanè quidèm, annuente Deo, ſecunda ſatis, honorate Abbas, inquit *Wottonus* : Quanquàm iudicare ſoleo, multò quàm nos fœliciori conditione fuiſſe veteres cultores huius inſulæ, dùm continenti *Galliæ* adhærebat, ſi quidèm vt te ſæpiùs audiui diſputantem illi vnquàm adhæſerit, quandò nunc hùc átque illùc nauigantibus, & fluctus & venti tàm formidoloſi efficiantur. Eſt iſtud quidèm verum quod dicis, chariſſime *Wottone*, inquit Abbas, ſed cuius aſſertionis probatio eget valdè alta repetitione, nec tamèn cuíque ſatis probabili. Equidèm, ſępenumerò audiui ex ijs qui in antiquorum hiſtorijs penitiùs verſati ſunt, aliam longè fuiſſe huius inſulæ rationem à principio, quam quæ à *Galfredo Monumethenſi* & eius ſequacibus vulgò fuiſſe traditur, nec incultam & vacuam vſque ad *Troiana* tempora,

aùt paulò pòſt ea extitiſſe: quandoquidèm diù antè *Troiæ* ruinam genus humanum per orbem terrarum ſpaiſum & diſſeminatum erat, imperia magna adminiſtrata, belláque aliquot inſignia geſta ſunt. Quocirca, *Wottone* doctiſſime, vèl tu dilecte *Digoni* frater, ſi quid de hac re dignum memoria tenetis florentes ingenio átque eruditione, ab ipſiſque fontibus bonarum literarum *Pariſijs* & *Louanio* reuerſi in patriam, dicite quæſo, átque de eo, ſi placet, agamus pauliſpèr, dùm prandium nobis apparatur. Atqui ibi ſubridens *Wottonus*, iſtud perindè eſt inquit, colendiſſime Abbas, ac ſi tibi tuum, quòd dici ſolet, ſomnium narraremus, vt de re tibi quàm nobis notiore apùd te loqueremur. Imò, reuerende Pater, inquit *Digonius*, à tę potiùs prò tua multifaria lectione, & antiquitatis ſingulari ſtudio petimus, vt ea velis nobis aperire, quæ de hac re multùm ſcrutatus hiſtoriarum ſcriptores, diuturna obſeruatione annotaſti. Ad quæ ille, fateor, inquit, aliquandò plurimùm me laboris, cùm eſſem prouectę ętatis, nec dùm conſeneſcerem, átq; operæ hoc nomine impendiſſe, quàm verò fœlicitèr, nequeo dicere. Verùm, ſi meum iudicium qualecúnque tandèm eſt, citrà alicuius præiudicium offenſionémque audire lubet, paucis accipite.

Principiò, hæc quæ modò inſula eſt, terra continenti iuncta, pars *Galliæ* fuit, ſiccúſque

tranſitus

tranſitus hinc indè per iſthmum, quomodò nùnc ex reliqua *Græcia* in *Peloponeſum* ſeu *Moream*, & contrà, erat: tunc verò peninſula, quæ etiàm *Cherſoneſus* & *Cherroneſus* dicitur. Hæc habitata eſt primùm ab *Albione* átque eius comitibus, à quo etiàm nomen inuenit, vt terra ſiuè regnum *Albionis* vocaretur. Multis præthereà annorum curriculis, *Galliæ* adhærens per lingulam quandam, quam iſthmum, vt dixi, vocamus, permanſit: donec aſſiduis vtriúſque maris, *Germanici* ſcilicèt átque *Gallici* fluctibus corroſus, tandèm penitùs iſthmus ille exeſus & abſumptus eſt, & vtrúmque mare commiſſum, ínque fretum illud quod modò videmus, vóſque nuper nauigando experti eſtis, euaſit. Atque ità tandèm abſciſſa hæc tellus à *Gallia*, inſuláque effecta, *Britannia* vocari cœpta eſt, quaſi dicas, locus diuortio ſeparatus ab eo cui adhæſerat. Vox enim *Brit*, ſicùt ego accepi à veteris *Britannicæ* linguæ gnaris, non ſolùm quod colore differt, ſed etiàm idem ferè quod *Guit*, id eſt, locali interſtitio ſeparatum ſignificat. Vt quemadmodùm olim hæc inſula ab albedine tinctis molibus quibus penè tota cingitur, quorundam opinione *Albion* dicta eſt: ità nùnc quóque non aliam ob cauſam *Britannia* dicatur quàm quòd à continente ſeparata atque albedine diſtincta ſit, vt ipſi etiàm incolæ depingendo corpora ſua, inſolenti alijs gentibus conſuetudine vſi ſunt. Hîc tùm cùm multum

tum huius nominis rationem admirari cœpiſſet *Wottonus*, itáne, inquit, tandèm ais, Abbas ? an non igitùr à *Bruto Britannia* appellationem accepit ? Non plus, inquit ille, à *Bruto*, Doctiſſime *Wottone*, quàm à brutis animantibus : aùt *Brutijs Lucanorum* olim fugitiuis: aùt *Britona* virgine quam *Britomartem* appellant : aùt *Brytone* potu, quem *Æſculum* vinum ex hordeo vocare refert in corollarijs Barbarus : cuius ſanè potionis genus nempè ex hordeo paratæ, apùd *Theophraſtum Bryton Hellanicus* dicitur, quem etiàm idem auctor ex *Oriza* fieri commemorat. Quòd ſi hic potus, vèl alius quiſpiam illi conſimilis ex bina conficiatur, ſítque ille qui *Paulo Oroſio* ex tritici vèl hordei ſucco à calefaciendo *Celia* dicitur, & Græcis *Bryton* vſurpetur : arbitrari tamèn ab eo inditum huic inſulæ nomen, vanius puto quàm quod refutatione indigeat. Quinetiàm, aliæ quóque inſulæ adiacentes ob eandem quam dixi cauſam *Britanniæ* dictæ ſunt, tùm cùm iſta terra *Albion* adhùc nominaretur. Néque vllus *Brutus* antè *Iuniūm Brutum*, qui ob ſtuporem mentis vt putabatur, pèr cachinnum ſic dictus eſt, memoratur. Quem iccircò ille ſimulauit, vt ſe ab iniurijs *Tarquiniorum* vindicaret : cuius fratrem quòd vegetioris eſſet ingenij, *Tarquinius* iàm tùm interemerat, nempè ſororis ſuæ filium. *Cæterùm Iunius Brutus* hoc cognomento ſe tutum conſeruans, *Populi Romani* à tyrannide

liberator

liberator poſteà extitit: nota eſt hiſtoria tàm ex Græcis, quàm Latinis ſcriptoribus. Ecquis verò pater, obſecro, tàm inhumanus eſt, qui filium ſuum, brutum, hoc eſt, tardum, ſtolidum, ſtupidum ac ſinè ſenſu, qualis iſta terra eſt cuius hoc eſt epitheton, libentèr nominaret, aùt ab alijs ſic nominari æquo animo pateretur? cùm ipſum ſolum quod conculcamus pedibus, ſic literis ſignaret Poëta *Horatius*:

Quò bruta tellus, & vaga flumina.

Verùm poſteà alij Bruti à *Iunio Bruto* exorti, non ob nominis dignitatem, ſed ob facti gloriam, quòd tyrannos expulerat, ſeſe Brutos vocari non illibentèr paſſi ſunt. Imò, hac vna re, tàm celebre erat id nomen, tàm clara habita familia apùd priſcos Romanos, vt alter etiàm *Brutus* ad *Iulium Cæſarem* è medio tollendum, quòd is priuato imperio Rempublicam inuaſiſſet, concitato impetu fereretur: tanta eſt vis exemplorum, propoſita facti mercede, gloria. Quid verò inſigne in illo *Bruto Cambrobritanni* noſtri inueniunt, quē ſibi gentis ſuæ auctorem proponunt, cùr *Bruti* nomine vocaretur, non video: niſi ſcilicèt quòd mater eum pariendo miſerè interierit. Siquidèm ità: quid hoc verò ad infantem? Quæ hinc *Bruti* nominis cauſa, aùt ratio, cùm tercentum matres, vel oris vteri anguſtia, vèl infantis excedente magnitudine, vèl formationis monſtroſitate, vèl corporis pratèr naturam poſitione, vèl virium imbecil-

litate

litate, vèl externa læſione, vèl morte, vèl alia quapiam conſimili cauſa ex partus difficultate perierint, quarum filij ſi ædantur, vèl *Ægrippæ*, vèl *Cæſares* & *Cæſones*, vèl molæ, vèl monſtra, potiùs quàm *Bruti* dici ſoleant? Quid, an ex eo quòd patrem intèr venandum imprudens occiderit? Lædere eum aliquandò quem maximè defenſum eſſe velis, eſt humanum quidèm: hominis parùm prouidi tamèn. Atqui, nomen aliquod *Bruto* antè illud factum inditum fuiſſe credibile eſt: vèl potiùs ſi ex eo cognomentum acciperet, non brutus, non ſtupidus, non ſtolidus, ſed impius, ſed maleficus, ſed parricida rectiùs diceretur. Equidèm libentèr nollem dilectos *Cambros* noſtros, iàm amicos ſociósque populi *Anglici* & in regni partem libertatémque receptos, de neſcio quo *Bruto*, imò malè nato, impiè excogitato, & ridiculè confićto *Bruto* ampliùs ſomniare, nè quid grauius videar in tantam dementiam dicere. At hîc *Wottonus*: bona verba quæſo, inquit, optime *Abbas*: memineris enim *Cambros* noſtrates, magno amore *Troiani* nominis teneri, vndè ſuum *Brutum* oriundum ferunt: & qui amant, facilè ipſi ſibi ſomnia fingunt. Quamquàm ſanè, ſicùt ego reuerà arbitror, ex antiquis fide dignis ſcriptoribus aſtrui non poteſt, *Brutum* aliquem hùc veniſſe, àtque ex ſuo nomine inſulę nomen dediſſe: etſi peruetuſta illa opinio, & diù quaſi pèr manus tradita, nonnihil habere auctoritatis

tatis videatur. Tùm ille, rectè quidèm hoc verbum, videatur, inquit, abs te additum cenſeo, doctiſſimè *Wottone*, quoniàm ità videri cupiunt. Nàm & *Iulium Cæſarem* ſcribit *Galfredus Britannicus* ille *Homerus*, ac mendaciorum pater, *Britannos* prò cognatis agnouiſſe, àtque ab eorum offenſione deſtitiſſe, nè cognatorum, inquit, ſanguinem fundentes, antiquam nobilitatem patris noſtri *Priami* offendamus. Ceterùm de hac re, audite quæſo ipſum *Cæſarem*, qui Commentariorum libro quarto ſic ſcriptum reliquit. *Cæſar* in *Britanniam* proficiſci contendit, quòd omnibus ferè *Gallicis* bellis, hoſtibus noſtris indè ſubminiſtrata auxilia intelligebat. Etſi tempus anni ad bellum gerendum deficeret: tamèn magno ſibi vſui fore arbitrabatur, ſi modò inſulam adiſſet, & genus hominum perſpexiſſet: loca, portus, aditus cognouiſſet: quæ omnia ferè *Gallis* erant incognita: néque enim temerè prætèr mercatores adit ad illos quiſquam, néq; ijs ipſis quicquam prætèr oram maritimam, àtque eas regiones quæ ſunt contra *Galliam*, notum eſt. Itáque conuocatis ad ſe vndique mercatoribus, néque quanta eſſet inſulæ magnitudo, néque quæ aùt quantæ nationes incolerent, néque quem vſum belli haberent, aùt quibus inſtitutis vterentur, néque qui eſſent ad maiorum nauium multitudinem idonei portus, reperire poterat.

Hactenùs *Cæſar*: in quibus verbis, vbinàm,

quæſo,

quæſo, cognatorum vlla mentio? vbi de *Priamo* ſermo? vbi de *Bruto* verbum vllum? Sed & illud notate diligentèr cùm dicat: néque quæ, aùt quantæ nationes incolerent, reperire poterat. At verò, inquit *Digonius*, à mercatoribus externis talia minimè curantibus, mirum certè non eſt *Cæſarem* non potuiſſe inſulæ magnitudinem, gentis originem, nationum quantitatem, cęteráque modò repetita, cognoſcere: ſed quid ab ipſis incolis repererit, fortaſſe dubitari poterit. Atqui, hoc ipſum, inquit *Vochius*, viri doctiſſimi, ex eius libro Commentariorum quinto ità accipite. *Britanniæ* pars interior, ab ijs colitur quos natos in inſula ipſi memoria proditum dicunt: maritima pars, ab ijs qui prædæ ac belli inferendi cauſa, ex *Belgio* tranſierunt: qui omnes ferè his nominibus ciuitatum appellantur, quibus orti ciuitatibus eò peruenerunt, & bello illato ibi remanſerunt, átque agros colere cœperunt. Quid apertius contrà *Brutum*, aùt *Brutizantes* dici poteſt? An *Caium Cæſarem*, virum tantum, tàm ſtrenuum imperatorem, tàm acrem rerum ſcrutatorem, tàm diligentem *Troianæ* gentis fautorem, credibile eſt cognatorum ſuórum mentionem facere noluiſſe, cùm de eo ipſo, aùt ſaltèm eius familia, ſcribat poëta *Virgilius*:

Naſcetur pulchra troianus origine Cæſar,
Imperium Oceano, famam qui terminet aſtris.

Quin etiàm, ſi quæ gens, aùt tribus fuerit vèl leuitèr

leuitèr *Romanis* aliqua nota ſanguinis vèl affinitatis coniuncta, hij ſtatim fratres eorum, & confœderati dicebantur, vt *Hedui*. Quid tùm, inquit *Digonius*, nullóſne igitùr cenſes, obſeruande pater, veniſſe in *Britanniam Troianos*, ex decantato illo, & memorabili incendio? Imò, *Digoni* frater, inquit *Vochius*, fieri quidèm poteſt & ſatis eſt credibile, homines miſeros, bonis omnibus exutos, pòſt patriam amiſſam, varias orbis quæſiuiſſe regiones vbi ſedes quietas fata oſtendere velint: & in mare *Mediterraneum* delatos, potuiſſe aliquos pèr fretum *Gaditanum* ſeù Columnas *Herculis* in *Oceanum* penetrâre, & ad aliquod huius inſulæ littus appellere. Námque deleta *Troia*, multi diuerſa tenuerunt, vt optimè annotauit *Seruius* in illud *Virgilianum*:

——————nèc quicquid vbique eſt
Gentis Dardaniæ, magnum quæ ſparſa pèr orbem.

Helenus enim *Epyrum*, *Antenor Venetias*, alij *Sardiniam* ſecundùm *Saluſtium*, alij vicina Syrtibus loca occupauere, iuxtà illud *Lucani*:

——————Portúſque quietos
Teſtatur Libyæ Phrygio placuiſſe magiſtro.

Præterea, *Iſthmum* illum qui ex *Gallia* in *Albionem*, & contrà ex *Albione* in *Galliam* ducebat, diù antè *Troiæ* ruinam attritum, exeſum, átque abſumptum fuiſſe, aſſeuerantèr aio: átque etiàm *Britanniam* antè eius occaſum, *Albionis* nomine amiſſo, inſulam effectam, non à *Bruto*,

nèc

nèc ab aliquo *Troiano*, nedùm vllo homine dictam, palàm profiteor, ſed à ſeparatione, ſeparatíque dignitate átque vbertate loci *Pritanniam* potiùs à *Phœnicibus* & *Aphris* vocitatam aſſero, ità commutata priori vocis ſyllaba vt facilè in *Britanniam* abiret. Iſtùdne eſſe verum arbitramini? an multò magis veriſimile, talem terram, tàmque fertilem, átque olim continenti iunctam, colonis caruiſſe vſque ad *Troiana* tempora, hoc eſt, ad quatèr milleſimum viceſimum à mundo condito annum, & vt alia omittam quæ adhùc manent incerta, in conſpectu *Galliæ* ſitam? Certè quidèm profectò, *Vochi*, inquit *Wottonus*, laudo plurimùm coniecturam tuam, prȩſertim cùm de tàm commodo tranſitu in *Britanniam* è *Gallia* loquaris, quam iccircò vèl ab ipſis *Gallis*, vèl alia aliqua gente non ità procùl diſſita habitatam, non erit alienum crediſiſſe: quanquàm Gygantes & cyclopas ex incubis genitos, aiunt quidam eam in principio coluiſſe. Ex quibus tandèm natos, *Wottone*, inquit *Vochius*? Ad quæ ille, quid vis, inquit, reſpondeam tibi Abbas? ſcilicèt, ex ſemine *Danai* vèl *Diocleſiani*: nàm huiuſmodi fabulæ de vtriúſque filiabus circumferuntur. Cæterùm, quòd ad *Hypermeſtram Danai* filiam attinet, ſunt qui de *Britannia* eam loqui intelligunt, vbi apùd *Ouidium* poëtam ſic queritur;

——— regnóque domóque
Pellimur, eiectas vltimus orbis habet:

átque

átque hinc ex immundorum ſpirituum congreſſu, natos eſſe gygantes illos, à *Bruto* & *Corinæo* poſteà ſuperatos. Equidèm memini, inquit Abbas, audiuiſſe & legiſſe me has & hiſce ſimiles fabulas: attamèn quod ad *Hypermeſtræ* eiectionem ſpectat, clarè docet *Antonius Volſcus*, *Peloponeſum* dici vltimum orbem, *Britanniam* verò alterum orbem. Et qualis nùnc eſt iſthmus ex reliqua Græcia, vt dixi, in *Peloponeſum* modò *Moream*, non dùm exeſus à mari vtrinque latrante, vbi

Æquora bina ſuis oppugnant fluctibus iſthmon,
Et tenuis tellus audit vtrumque mare,

vti idem cecinit poëta: talis erat quondàm ex *Gallia* in *Albionis* terram, latitudinis ſcilicèt circitèr quinque millia paſſuum, nempè quantum abeſt *Falſtanum* oppidum à portu *Rutupino*, qui etiàm nùnc ab illo facto, terræque interitu, *Douor* dicitur, itémq; *Doris*, à maris ingreſſu, quoniàm illìc

Doris amara ſuam nùnc intermiſcuit vndam.

Atque iſte quidèm iſthmus, è cretaceis cautibus albicante argilla tanquàm cæmento conglutinatis, à natura fictus, iàm antè multa ſecula eroſus & abſumptus eſt, ſicùt ille qui ex *Italia* in *Siciliam*, & qui ex *Syria* in *Cyprum* ducebat:

———qualis rupes, quam vertice montis
Abſcidit impulſu ventorum, adiuta vetuſtas.

Quinetiàm, ex *Europa* in *Affricam* ſimilis aliquandò

quandò iſthmus fuit: nàm olim mare *Mediterraneum* incluſum fuit, nèc *Oceanus* in illud, nèc hoc in *Oceanum* influebat: erátq; ſiccus tranſitus à *Calpe* mõte in *Hiſpania*, ad *Abylã* in *Affrica*, qui *Herculis Columnæ* appellantur, fortaſſè quòd ipſe ibi mare in *Oceanum* emiſerat: de qua re, & de onere, & ſtagnatione, & fremitu, & tumore maris incluſi, multa *Strabo* & lectu iucunda, & ſcitu digna operosè ſcribit. Eſt ità certè vt refers, docte Abbas, inquit *Wottonus*, átque ipſe ſæpenumerò aliâs audiui & legi, eam rem ſic ſeſe olim habuiſſe, quod etiàm *Plinius* docet ex diuini *Platonis* auctoritate. At non *Plinius* modò, mi *Wottone*, inquit *Vochius*, aùt ipſe *Plato* ſoli id demonſtrant, ſed etiàm *Strabo* quem nupèr commemoraui, átq; etiàm *Seneca* apertiſſimè oſtendunt, qui de cauſis rerum pòſt multas multorum philoſophorum opiniones, nempè *Anaxagoræ*, *Archilai*, *Democrati*, *Aſclepiodori*, *Ariſtotelis* & aliorum, tandèm ipſe quóque de ſua ſententia adiungit: ſic & *Hiſpanias* à contextu *Affricæ*, mare eripuit. *Siculæ* autèm diuulſionis ab Italia, infiniti penè ſcriptores claram fecerunt mentionem, de qua *Virgiliana* carmina vèl lippis & tonſoribus, vt dici ſolet, nota ſunt, proptèr crebram eminentiſſimi poëtæ lectionem, ſic canentis in tertio Æneidos.

Hæc loca vi quondam, & vaſta conuulſa ruina,
(Tantum æui longinqua valet mutare vetuſtas.)

Diſſiluiſſe

Diſſiluiſſe ferunt: cùm protinùs vtráque tellus,
Vna foret: venit medio vi pontus,& vndis.
Heſperium Siculo latus abſcidit: aruáq; & vrbes,
Littore diductas, anguſto interluit æſtu.

Carmina iſta ſanè, pater *Vochi*, inquit *Wottonus*, quanquàm nota ſunt ſatis, tamèn opinione multò luculentius perhibent de huius rei veritate, teſtimonium. Néque de *Sicilia*, quòd aliquandò ab Italia abſciſſa ſit, átque indè nomen inuenerit, dubitari à quoquam video. *Lucanus* quóque ſæpiuſculè hoc ipſum innuere videtur, vbi de montis *Appennini* vaſtitate referens, hic inquit.

———————————non deſerit antè
Heſperiam, quàm cùm Scyllæis clauditur vndis,
Extendítque ſuas in templa Lacinia rupes:
Longior Italia, donèc confinia pontus
Solueret incumbens, terráſque repelleret æquos.
At poſtquàm gemino tellus eliſa profundo eſt,
Extremi colles Siculo ceſſêre Peloro.

Itémque alio in loco idem auctor de eadem abſciſſione, ità canit.

Curio Sicanias tranſcendere iuſſus in vrbes,
Quà mare tellurem ſubitis aùt obruit vndis,
Aùt ſcidit, & medias fecit ſibi littora terras.
Vis illic ingens pelagi, ſempérque laborant
Æquora, nè rupti repetant confinia montes.

Hæc cùm tàm perſpicua clariſſimorum Poëtarum teſtimonia attuliſſent *Vochius* & *Wottonus*: ſanè, inquit *Digonius*, hoc nùnc mihi ità minimè

dubium ſit, vt ſic ſe reuerà habere, luce clarius eſſe arbitror. Sed nè ego omninò nihil quod ad huius veritatis comprobationem attinet, attuliſſe videar, recitabo vobis quæ ipſe legi aliquandò *Valerij Flacci* elegantiſſima carmina, de vtraque ruptura & *Sicula* & *Libyca*, quæ ad hunc modum ſe habent.

——————néque enim rex Æolus illic
Rector erat, Libyam cùm rũperet aduena Calpem
Oceanus: cùm flens Siculos Ænotria fines
Perderet, & medijs intrarent montibus vndæ.

Præclara ſanè carmina *Digoni* frater, inquit *Vocbius*, & ad rem accommodata, admodúmque opportunè retuliſti: ſunt enim longè elegantiſſima, & ab auctore ingenioſiſſimè excogitata, vt diruptionem vtriuſque loci poëticè deſcriberet. Quid tu verò *Wottone* cenſes, an non tibi æquè atque mihi mirè perplacent? Mihi quidèm inprimìs, inquit *Wottonus*, nèc iniuria, cùm *Digonius* noſter non modò ſacris literis, quæ eius ordinis homines maximè commendatos reddunt, præcipuam operam impenderit, verũmetiàm in prophanis egregios progreſſus fecerit, quod cùm mihi proptèr arctam neceſſitudinem noſtram perſpicuum eſſe debeat, tùm tibi, reuerende Abbas, atque huic *Twino* noſtrò (me intuens) obſcurum eſſe non arbitror. Verùm hìc cùm *Digonius* tàm amplæ commendationis titulum modeſtiùs à ſe verbis amouere conaretur, quęſo, inquit Abbas, quandoquidèm

doquidèm fratris mei *Digonij* ſatis agnoſco laudóque ſolitam diligentiam, miſſa hæc faciamus, bona cùm veſtra venia, & proſequamur cætera. Etenim *Plinius* de terris à mare interruptis, atque inſulis continenti adiunctis, & terræ motu mutatis, aliiſque rerum miraculis multa egregiè docet: at de inſulis, Auellit, inquit, *Siciliam Italiæ, Cyprum Syriæ, Eubœam Bœotiæ, Eubœæ Atalantem*, aliáſq; terras quas capite octogeſimo octauo eiuſdem libri commemorat. Hæc, inquit *Wottonus*, nobis vtcunque, *Vochi*, nota ſunt, vt prò *Digonio* noſtro recipiam, atque alios quoque ſcriptores idem aſtruere. Quinetiàm *Ouidius* cultiſſimus Poëta, ſùb perſona *Pythagoræ* multiſcij & antiquitatis callentiſſimi philoſophi, ſic in decimo quinto Metamorphoſeos libro, cecinit.

Vidi ego quod fuerat quondàm ſolidiſſima tellus
Eſſe fretum, vidi factas ex æquore terras.
Et procùl à pelago conchæ iacuêre marinæ,
Et vetus inuenta eſt in montibus anchora ſummis.
Quódque fuit campus, vallem decurſus aquarum
Fecit, & illuuie mons eſt deductus in æquor.
Eque paludoſa ſiccis humus aret arenis.
Quæq; ſitim tulerant, ſtagnata paludibus hument:

& quæ ſequuntur ad idem propoſitum ſpectantia, nempè vt intelligatur, humana omnia inſtabili & incertæ mutationi eſſe obnoxia. Cæterùm, intereà loci, nèc *Plinius*, nèc *Seneca*, nèc *Strabo*, nèc quiſquam alius antiquorum,

quòd ſciam, *Albionicæ* diuulſionis à continente *Galliæ*, mentionem fecit. Itaque doctiſſime Abbas, poſtquàm hæc tàm copioſè te diſputante expoſita ſunt, vt nullam penè orbis terrarum partem omiſeris, in qua maris vi quicquam firmi à tellure reuulſum eſt: liceat mihi tandèm quæſo pace tua dicere, quorſùm hæc? & quid ad illud quod agere inſtituimus? Tùm ibi ſubridens *Vochius*, O bone, inquit, meminiſſe oportet illius poëtæ: *Non omnia poſſumus omnes*. *Plinius* enim multa, *Seneca* antè eum non pauca, *Strabo* nonnulla, itémque *Ouidius*: ſed *Plato* antè omnes, eiúsque auditor *Ariſtoteles*, diuerſa huius commutationis genera obſeruauerunt, mandauerúntque literis, & pòſt hos etiàm alij alias rerum naturalium annotauerunt variationes. An non meminiſtis de Britanniæ auulſione, quicquam ab aliquo claſſico ſcriptore, proditum memoriæ? Quid ergò iudicatis, doctiſſimum poëtam veſtrum *Virgilium* ſenſiſſe, cùm de noſtratibus diceret:

Et penitùs toto diuiſos orbe Britannos?

Nonnè putatis vocabulum, *diuiſos*, habere eam vim, vt ſignificet abſciſſionem alicuius ab aliquo? & auctorem mirè gnarum ſignificationis fuiſſe, & rerum antiquarum maximè peritum, & benè memorem ſui? Non eſt mihi dubium, quin hæc omnia dabitis in honorem & gratiam tanti Poëtæ: quanquàm profectò, leue admodùm argumentum hinc duci arbitrabimini,

olim coniunctam fuiſſe hanc *Albionis* terram, *Galliæ* continenti. Accedamus itaque propiùs, ac reſpondete mihi, quanti æſtimatis *Honorati Seruij*, principis omnium interpretum, & illuſtrium grammaticorum auctoritatem, & qui ſolus palmam tulit ac gloriam, antiquitatis è tenebris eruendæ? Hîc cùm dicendo moram aliquam interpoſuiſſet *Vochius*: equidèm inquit *Digonius*, habeo eam, vt debeo, ſempèr quaſi ſacroſanctam, & cui refragari, pudere me multùm debeat. Tùm *Vochius*, legite igitùr, inquit, & perpendite mihi eius verba: diuiſos « namque dixit Poëta, inquit *Seruius*, quià olim « iuncta fuit orbi terrarum *Britannia*: hic tanti « viri ſenſus eſt, hæc interpretatio. Prætereà, « *Claudianus* inſignis Poëta qui diù antè *Seruium*, quadringentis verò annis poſt natum *Chriſtum* floruit, in eandem *Virgilij* ſententiam quaſi pedibus deſcendens,

Noſtro diducta Britannia mundo,

inquit, hoc eſt, vi quadam à terrarum continente: cùm diduco, & contraho ex diametro pugnare verba, apùd *Ciceronem Romanæ* eloquentiæ parentem, clarius ſit, quàm quod exemplis illuſtrare neceſſe habeam. Profectò, inquit *Wottonus*, vterque locus ille tàm *Claudiani* quàm *Seruij*, quotidiè eſt in manibus multorum, & neſcio cui non ſæpiùs perlectus, à me autem nunquàm antè hoc tempus animaduerſus, idémque prò *Digonio* noſtro auſim dicere.

Diſpudet me itaque mei, neque me ſatis oſcitantis incuriæ accuſare potero. Quarè, nùnc mihi longè alia mens eſt quàm fuit paulò antè, cùm te primùm de hac re differentem audirem, in qua nudis tantùm coniecturis, & exemplis aliorum locorum niti, non auctoritate alicuius approbati ſcriptoris fulciri, arbitrabar. Nùnc verò, quandoquidèm tantorum auctorum teſtimonijs, præcipuè verò *Seruij* tàm rerûm antiquarum induſtrij indagatoris ſententia, motus, facilè me patior à priſtina opinione diuelli: præſertim cùm intelligam, tàm varias multiplicéſque rerum viciſſitudines à mundi primordijs ad hunc vſque diem accidiſſe. Montes ſcilicet in conualles dilapſos, háſque rurſùs in montes excreuiſſe: maria in terras exſiccata, háſque denuò in aquas ſubſidiſſe: vrbes & oppida ab æquore abſorptas: inſulas ſubito è mari extuliſſe caput, alias continenti iunctas, nonnullas verò aquis obrutas in imo demerſas: quorum duorum proximè memoratorum exempla ſatis luculenta, in hoc *Cantio* noſtro, nè externa cogar quærere, facilè eſt inuenire. Etenim, *Thanatos* quondàm inſula, nùnc ſicco pede aditur ſinè remigio. *Lomea* verò, quæ aliquandò fuit *Godwini* Comitis ditio, eius nominis hodiè arenæ vèl ſyrtes dicuntur, valdè ſanè nautis infames: emerſæ quandoque ex æquore, & rurſùs quolibet æſtu maris ſuperfluæ. His adde tot paludes ſiccatas: tot locis

mare

mare excluſum, ſua ipſius inducta illuuie: oppida aliquot à mari deſerta, id quod *Windchilſeum* olim vento, frigori, & ponto obnoxium, vndè ei nomen obuenit, atque hoc antiquius *Leniſum, Warrenniæ* Comitis oppidum & caſtellum, cùm nonnullis alijs atteſtantur: adeò vt verè dicere liceat paululùm commutatis vocabulis,

Iàm ſeges eſt vbi pontus erat, reſecandáq; falce,
Luxuriat Nerei ſanguine pinguis humus.

Sed quid ego hæc te preſente diſputo, cui proptèr ætatem, rerúmque experientiam, longè notiora quàm cuiquam noſtrûm eſſe oportebat, quæque abs te anteà, ſed tanquàm alia agente, pertractata ſæpiùs memini? Et quandoquidèm *Cantij*, dulciſſimæ patriæ noſtræ, totiúſque *Angliæ* multò amœniſſimæ regionis (quod *Twino* quoque noſtro, vti ſpero, non erit moleſtum confiteri, quanquàm in agro *Hantonenſi* nato) commodè mentio incidit: recita queſo ſi quid habes huius argumenti, neſcis enim quanta cùm expectatione, Abbas, ſumus te audituri. Tum ille, dicam equidèm, inquit, ac lubens, quoniàm, que poſtulas, non ſunt procùl à memoria noſtra remota. *Thanatos* enim noſtro ferè euo, ex inſula facta eſt peninſula ſiuè *Cherſoneſus*, ſuperantibus adhùc octò fidedignis viris, qui non modò cymbas minutiores, verumetiàm grandiores nauiculas, onerariáſque meaſſe ac remeaſſe intèr inſulam & noſtram

noſtram continentem, frequente nauigatione vidiſſe ſe aiunt. Curſus erat in fluuio illo ſiuè mari potiùs, quoniàm aquæ erant ſalſę, cui propter tranquillitatem traijciendi, immunitatémque à periculo, *Wanthomus*, id eſt, Domeſticus tranſitus nomen inditum eſt. Fluuius erat latus, circitèr quatuor ſtadia, duo cornua ſiuè capita in apertum pelagus, verſùs orientem alterum, alterum verò inter occidentem & aquilonem extendens, quorum hoc quidèm ad *Reculſum* ſiuè *Regulbium*, illud antè ad *Ratiſburgum* effluebat: non *Raculſum* vt quibuſdam placere video, ſed *Reculſum* dico à verbo Recello quod Reculſum in ſupino itémque participio format, quòd patrum noſtrorum memoria hîc maximus fuerit fluctuum recurſus, & reuerberatio ab altero refluxu littoris videlicèt *Sandwicenſis*. Sed hîc, quadam reciprocatione, quaſique mutua viciſſitudine, pugnantia maria, vt orientalis incurſus ęſtui occidentalis cęderet exitus, contráque occidentali fluxui orientalis refluxus locum daret, ſed non plenè, nèc ęquis viribus, nèc ad horas pares: ſe viciſſim aquæ impedierunt. Itaque contigit, pòſt aliquot annos, vt hoc fretum duobus in locis tantùm eſſet tranſmeabile: namque illuuies vtrinque inducta, à debili hoc flumine noſtro *Stura* inſequenti, euehi non poterat. Hac occaſione, & longo temporiş decurſu, terra ex vtraque parte *Wanthomi*, creuit mirificè, & aquam verſùs occidentem

dentem penitùs excluſit, terráſque vtrinque commiſit, & continentis & inſulæ, vt non minùs verè hodiè de hac efferri illa poſſint, quàm de quibus olim ad hunc modum Poëta:

Fluctibus ambitæ fuerant Antiſſa, Pharóſque,
Et Phœniſſa Tyros, quorum nùnc inſula nulla eſt.

Erat prætereà olim in hoc fluuio, ſtatio firmiſſima nauibus, & gratiſſima nautis, *Sarra* nomine, vèl *Serra* potiùs à ſimilitudine inſtrumenti fabrilis fortaſſè dicta, medio ferè tranſcurſu intèr *Reculſum* & *Ratiſburgum* poſita, ſedes ſanè admodùm amœna, ex ea inſulæ parte ſita, qua ex hac in continentem, atque ex continente in inſulam hippagine parata, portitor vehebat volentes tranſmittere. Reſtant adhùc indicia antiquæ fœlicitatis ſuæ huic loco: nempè, muri, cellæ, ripæ, municipia, quinque portuum libertates, atque huius generis plurima priuilegia. De *Lomea* verò, vèl vt nùnc eſt, *Godwinianis* ſyrtibus, quæ apud ſcriptores nonnullos legi, ità breuitèr accipite. Fuit hæc terra valdè fertilis, & paſcuis abundans, paulò humilior quàm *Thanatos*, ex qua tranſitus pèr nauiculam, tres aùt quatuor millia paſſuum longus erat. Hæc inſula, inſolita tempeſtate ventorum, imbrîum furore turbulento, & inaudita maris rabie, immergitur, & eructata arena incredibilitèr obducitur, & irrecuperabilitèr in dubiam terræ & maris naturam conuertitur: intelligo enim quid loquor, quià interdùm tota fluitat, inter-

dùm

dùm verò patitur gradientes decedente mari. Quæ cùm dixiſſet *Vochius*, ſanè, reuerende pater, inquit *Digonius*, quotiès equidèm de *Godwinianis* cogito arenis, quas ſæpenumerò triſtis contemplatus ſum, totiès mihi in mentem veniunt ſyrtes illæ *Libycæ*, à Poëta eleganti verſibus deſcriptæ, qui ad hunc modum ſeſe habent.

Syrtes vèl primam mundo natura figuram
Cùm daret, in dubio pelagi, terræque reliquit.
Nàm neque ſubſedit penitùs quo ſtagna profundi
Acciperet, nèc ſe defendit ab æquore tellus:
Ambigua ſed lege loci iacet inuia ſedes.
Æquora fracta vadis, abruptáque terra profundo,
Et poſt multa ſonant proiecti littora fluctus.
Sic malè deſeruit, nullóſque exegit in vſus.
Hanc partem natura ſui:

& quæ ſequuntur longè elegantiſſima. Rectè tu quidèm, *Digoni* frater, inquit *Vochius*, ea recordatus es, quæ doctus Poëta *Lucanus*, in nono *Pharſaliæ* de conſimili loco in *Affrica* ſcripſit, perindè ſanè ac ſi noſtras ſyrtes voraciſſimas, & meritò infames, iuuenis ille benè eruditus corā conſpexiſſet. Ità videtis, omniū locorum commutationes fieri, nèc quicquam tàm ſolidum quod fluxum & fragile fieri non poſſit, verúmq; eſſe quod nobilis ille Theologus & Chriſtianus *Cicero, Firmianus Lactantius*, ſcriptum reliquit.
„ Poſſum, inquit, enumerare, quotiès repentinis
„ quaſſatæ motibus vèl hiauerint terræ, vèl deſcenderint

ſcenderint in abruptum:quotiès dimerſę fluсti- «
bus, & vrbes & inſulæ abierint in profundum: «
frugiferos campos paludes inundauerint: flu- «
mina & ſtagna ſiccauerint : montes etiàm vèl «
deciderint abrupti, vèl planis fuerint adæ- «
quati: plurimas enim regiones & multorum «
fundamenta montium,latens & internus ignis «
conſumit. Hactenùs *Lactantius*; Ipſum quin- «
etiàm ſummum Philoſophum *Ariſtotelem* au-
dite, cuius hæc ſunt verba in fine primi libri
Meteorologicorum. Interiores, inquit, telluris «
partes, perindè vt animantium plantarúmque «
corpora, iuuentutem átque ſenectutem ſuam «
habent. Proindè, loca quædam ad aliquod «
tempus aquoſa permanent,deindè exſiccantur «
átque ſeneſcunt : alia verò reuiuiſcunt átque «
ex aliqua parte aquoſa redduntur. Cæterùm, «
cùm loca aridiora fiunt, fontes vt deleantur «
neceſſe eſt: quod cùm accidit, amnes primùm «
è magnis puſilli fiunt, poſteà tandèm inareſ- «
cunt, átque hoc modo tellus exſiccatur, & fit «
ſterilior. Verùm enimverò, quoniàm terra «
maximum corpus eſt,hæ alterationes mutatio- «
néſque non fiunt ſubitò, quemadmodùm in «
noſtris corporibus, ſed longa temporis diutur- «
nitate: incrementum autèm longo tempore «
fieri aſſolet, itàvt omninò memoriam homi- «
num effugiat. Sic enim in Ægyptò accidit: «
nàm locus ille totáque regio quæ fluminis tan- «
tùm inuectu rara eſt, ſempèr aridior effici vide- «
tur,

tur, attamèn propterea quòd paulatim areſcentibus paludibus vicina loca incoli cœpere, temporis longitudo initium obliterauit. Antiquitùs enim tota Ægyptus, vrbe quam *Thebas* vocant,conſtabat, quòd etiàm *Homerus* declarat, qui non adeò multo, vt ità dixerim, pòſt eiuſmodi mutationes floruit: nàm loci illius mentionem facit,tanquàm nèc dùm,aùt omninò,aùt certè exiſtente *Memphi*. Prætereà,loca quæ inareſcunt fiunt deteriora, id quod Græcia, & circà *Argiuorum* & *Mycenorum* regiònem vſu venit. Etenìm *Troianis* temporibus, *Argiuorum* regio,quòd paluſtris eſſet,pauculos homines alere potuit: ſed contrà *Mycenorum* ager pulchrè ſe habebat, itáque ferebatur dignior. Nùnc verò ſecùs accidit, proptèr cauſas quas diximus. Námque hæc ſterilis facta eſt, atque admodùm inaruit: illius verò loca quæ tunc erant ſterilia quòd aquis eſſent obruta, nùnc fertilia ſunt effecta. Quod igitùr in illo loco qui paruus eſt accidit, hoc idem etiàm circà loca magna, regionéſque integras accidere cenſeamus oportet. Hæc ille hactenùs: ex quibus liquidò videtis, quales & quantæ mutationes,alterationéſque rerum mortalium fiant, & quòd acclamante ſapientiſſimo *Salomone*, nihil ſit ſub ſole diuturnum, ſed omnia ſuo tempòre viciſſitudinem patiantur, iuxtà illam diuini *Platonis* carmine expreſſam ſententiam:

AEuum

AEuum cuncta rapit, furtiuáque tempora mutant
Naturam, ſortem, nomináque & faciem.

Strabo quóque egregius Geographię auctor, multa iudicat retroactis ætatibus mutata, nonnulla diuinat poſterioribus ſeculis mutanda, nempè, ex præteritis prudentèr diiudicans futura: iſthmos eroſos, & poſteà alios erodendos. Sed quemadmodùm ex *Ariſtotele* didiciſtis, quóniàm hæc longo temporis ſpacio fiunt, memoriam hominum ſolent effugere. Quis quæſo hodiè credat, magnam partem illius prati ſiuè Planiciei nobis nùnc *Rumnenſis* marſhij, id eſt, Romani maris, nomine dictæ, fuiſſe quondàm altum pelagus, & mare veliuolum? Vbi tot ouium greges oberrant: tot pecorum armenta paſcuntur: tot iuga boum arant: tanta fœni copia quotannis conficitur: tot templa in diuinum cultum conſtruuntur: tot familiæ fouentur: deníque vndè tot pingues pecudes in macellis veniunt, vt non modò vniuerſum *Cantium* huius loci commoda ſentiat, verum etiàm ciuitas Londinum non nihil emolumenti indè percipiat. Atque hæc terra, quæ, ſicùt modò dixi, quondàm pelagus erat, quantò nùnc vtilius floreſcit gramine? & tamèn ex ea verum eſſe intelligitis id quod cecinit *Ouidius*, vel potiùs ſi mauultis, apud *Ouidium* veteris non inſcius æui, *Pythagoras*.

Vidi ego quod fuerat quondam ſolidiſſima tellus
Eſſe fretum, vidi factas ex æquore terras;

&

& quę ſequuntur ingenioſiſſimè à poëta annotata, digna quidem quæ à ſtudioſis omnibus animaduertantur, quæ à te modò peropportunè recitata, *Wottone*, memini. Sed quorſùm quæſo hæc omnia? Scilicèt vt intelligatis, credibile ſatis eſſe iſthmum illum qui duxit ex Gallia in *Albionem*, à mari vtrínque oppugnanti deleri potuiſſe, átque etiàm penitùs eſſe deletum. Certè quidèm, inquit *Wottonus*, non poſſum facilè refragari, quin ità fieri potuiſſe, & factum eſſe putem. Tùm *Digonius*, me quóque, inquit, & aliorum locorum exempla, & *Ariſtotelis* rationes, & *Seruij* auctoritas ſic mouent, vt pudeat non ità prorſùs ſentire: adde etiàm, quòd ipſa loci facies ex vtróque littore maris, non leuitèr idem indicat. Cæterùm, reuerende pater, quandoquidèm nullum *Brutum* huic terræ nomen dediſſe intelligimus, nullóſne igitùr *Troianos* hùc curſus ſuos tenuiſſe arbitrabimur? Meherculè, inquit *Vochius*, non auſim iſtud aſſerere. Etenim à Troiæ incendio, & Græci, & *Troiani* in hanc inſulam veniſſe perhibentur. De *Vliſſe* verò propè iam conſtat ex diuerſis ſcriptoribus, quòd hic monumentum aliquod tanquàm trophæum erexerit, vt intèr alios auctor eſt *Solinus*. Quod autèm ad *Troianos* attinet, de quibus ſic ſcribit *Virgilius Maro* primo Æneidos:

——————grates perſoluere dignas
Non opis eſt noſtræ Dido, nèc quidquid vbíq; eſt
Gentis

Gentis Dardaniæ,magnum quæ ſparſa per orbem:
ibi *Seruius*, Meminit, inquit, Poëta hiſtoriæ: "
multi enim pòſt excidium *Troiæ*, orbis diuerſa "
tenuerunt, vt *Helenus Epyrum, Antenor Venetias*, "
alij *Sardiniam*, ſecundùm *Saluſtium*, alij vicina "
Syrtibus loca,ſecundùm *Lucanum*,vt: "

——————————*portúſque quietos*
Oſtendit, Libyæ Phrygio placuiſſe magiſtro,

Vbi,oſtendit, legitur prò teſtatur,vt eſt in omnibus *Lucani* exemplaribus, quæ mihi contigit videre: neque enim arbitror alium eſſe ſcriptorem,cuius in tàm paruò opere tot numerantur variæ lectiones. Sed hæc verba Poëtę, *Magnum ſparſa per orbem*, poſſunt fortè videri facere quippiam ad aliquorum *Troianorum* in *Britanniam* aduentum, licèt admodùm obſcurè. Totus hic locus,*Wottone*,nobis iàm paulò anteà illuſtratus eſt. Verùm, concedamus veniſſe, vt dixi,hùc aliquos,non eos tamèn neceſſe eſt totam tenuiſſe inſulam: ſatis eſt ſtationem aliquam poſſediſſe, & viculum mari vicinum condidiſſe,ibíque agros coluiſſe,non tamèn inſulę toti nomen dediſſe neſcio à quo ignoto obſcuróque profugo. Si enim ità ſe res haberet,vndè vos rogo omnes illæ circumiacentes inſulæ: videlicèt,*Mona,Menapia, Ricnea,Vectis,Silimnus, Andros, Britanniæ* vocarentur, cùm hæc interim *Albion* diceretur? quod *Plinij* locus capite decimoſexto libri quarti comprobat, vnicúſque ſatis indicat,nèc minores illas inſulas,nèc hanc

ipſam *Albionem* aliquandò à *Bruto* nomen accepiſſe. Oportet ſanè, Abbas, inquit *Wottonus*, alterutrum verum eſſe, vèl non mutatam à *Bruto Albioni* appellationem, vèl longum ac late patens fuiſſe illi imperium, quòd nomen ex ſe inderet ſuis ditionibus. Sed vt pace tua dixerim, vt vt ſe res habet, duriuſcula mihi videtur oratio tua in *Britannos* noſtros veteres monticolas, vt hodiè plerique eorum vocari ſe volunt. Dura certè atque aſpera quandoque veritas eſt, mi *Wottone*, inquit *Vochius*, ijs præſertìm qui ſibi adulando mentiuntur. Ægréque fero, ac vt par eſt doleo, tàm nobilem populum qualis ſunt vèrè *Britanni* noſtri, in re tàm clara vèl vigilare cæcutientes, vèl cæcutire vigilantes. Nàm, quæ malùm tandèm eſt hæc amentia, vt credant non fuiſſe homines in *Europa* antequàm *Troiani* pèr terras ſpargerentur? An non diù antè illud tempus, imperium *Aſſyriorum* quod etiàm *Babylonicum* dicitur, longè latéque pèr vniuerſos ferè orbis terrarum fines propagatum eſt? An non apùd veteres tàm celebre fuit nomen *Babylonis* antiquæ, quàm cùm diuerſæ monarchiæ non ſinè cauſa, multifariàm à doctis viris ſtatuantur, poſteà Romæ, quæ ſecunda dicta eſt & noua *Babylon*? Namq; illa tamen duo videntur mihi omninò fuiſſe iuſta ac legitima imperia quibus orbis regebatur, illud in Oriente, hoc in Occidente, & occaſus prioris poſterioris erat origo: & illud quidèm

quidèm in principio penè mundi creati natum, hoc verò ad eius interitum vſque, nonnullorum opinione duraturum.

Hinc indè etiàm mortales tranſlati, hùc concurſus fuit quandò illic incepit deſolatio: videlicèt, vt homines, ritus, mores, leges, ſtudia, rerum cognitio per terrarum orbem diſſeminarentur, quandoquidèm morum cultus & literæ, ſempèr ſequuntur imperia: atque etiàm vt fierent intèr omnes terræ habitatores mutuæ conſuetudines atque commercia, cauſæq; viciſſim ſe inuiſendi, atque ità tandèm glorioſum præpotentis Dei nomen, à ſolis ortu vſque ad occaſum, laudabile prædicaretur. Etenim, magna imperia diuini certè numinis inſtinctu dilatata, ingentem Dei potentiam patefaciunt: eadémque commutata, incertitudinem humanæ ſortis teſtantur, ſuperbiam frangunt, faſtúmque deprimunt: quoniàm in manu Dei ſunt omnes fines terræ, atque altitudines montium ipſe conſpicit, humilians vèl exaltans quod illi viſum fuerit. Quemadmodùm igitùr illæ inſulæ, de quibus modò egimus, à ſeptentrione iacentes, quandoquidèm à maiore hac noſtra diremptæ, dictæ ſunt *Britannia*: ità hæc quæ alter orbis nominatur, poſtquàm à continente pèr effractum iſthmum abſciſſa eſt, *Britannia* nominari cœpit: vt, ſicùt *Ariſtoteles* Philoſophus, *Cicero* Orator, *Virgilius* Poëta, *Paulus* Apoſtolus, ità hæc, extincto *Albionis* nomine,

κατ' ἐξοχὴν & per excellentiam *Britannia Britanniarum* dicta eſt. Hęc vbi concluſa, paululùm ſubſtitit *Vochius*. At *Wottonus*, eram modò, inquit, Pater Abbas, interrupturus ſermonem tuum, quem cùm de duobus imperijs inſtitueras quę tibi, vt ais, iuſta & legitima viſa ſunt: finita narratione de *Babylonibus*, in qua mihi vberrimè feciſti ſatis, quęro nùnc abs te, an non alia quoque fuerint imperia, quæ ipſa etiàm longè latéque diffuſa, iuſtitiam exercuerunt? Proditum eſt enim, *Ægyptios* atque *Perſas* terrarum orbis gubernacula tenuiſſe: quibus deſtructis, ad *Romanos* rerum ſumma peruenit, referente *Lactantio*. Floruerunt ſanè, doctiſſime *Wottone*, inquit *Vochius*, quædam quaſi ſimulachra imperiorum, potiùs quàm ipſa verè imperia. Sed nulla ſolidè prætèr hęc duo, *Babylonicum* in oriente, & *Romanum* in occidente, diù durauere, fixúmque ſtatum tenuere. Emerſerunt verò tantùm atque euanuerunt nonnulla, nulliſque reipublicæ adminiſtrandæ rationibus, aùt gubernandi monumentis relictis, penitùs extincta ſunt, vèl vt verius eſt apùd illum:

Oſtendunt terris hæc tantùm fata, nec vltrà
Eſſe ſinunt.——————————

Gallos quóque quos *Celtas* vocant, quibus antiqui iuncti fuerunt *Britanni*, variè multúmque graſſatos fuiſſe, átque grauia exercuiſſe latrocinia, impiáque ſacrilegia cognouimus, *Brenno* duce, *Pranſo* non *Britanno*, vt noſtri volunt: ſed

eos

eos inueniſſe aurum *Tholoſanum* miſeréq; breui poſteà perijſſe, ſcriptum inuenimus. *Cimbri* etiàm aliquandiù terras peruagati ſunt, ſed ſinè animo aliquam conſtituendi rempublicam. Quid loquar de *Gothis, Vandalis, Hunnis, Alanis,* átque aliis eius farinæ hominibus, vèl potiùs fæcibus hominum? qui velùti flagellum quoddam prò tempore orbem peragrantes, nihil non mali mortalibus intulerunt, & tamèn euanidi receſſerunt. Sed hìc mihi interim duo eminentiſſima átque aſperrima imperia, & quaſi de orbis principatu certantia prætermittenda non ſunt, *Macedonicum*, videlicèt, átque *Carthagenienſe*, illud ſùb regibus, hoc ſùb ſenatu ſurgentia: quorum virtuti & progreſſus celeritati, nèc *Romanum*, nèc *Babylonicum* par fuit. Etenim *Alexander Macedo*, & *Hannibal Pœnus*, exiguo temporis ſpacio quot bella confecerunt? quantum terræ obierunt? quantas victorias aſſequuti ſunt? Certè, parùm abfuit, quin illud imperium quod ità floruit in occidente, ſtetiſſet vtíque vèl in ſeptentrione, vel in meridie: noctis enim quàm arctè, grauitèr, acerbè, *Hannibal Romanos* clauſerat, terruerat, cæciderat. Sed diuina prouidentia, quæ rerum omnium adminiſtra eſt, id fieri vetuit, quod alioquin humano iudicio haùd dubiè factum fuiſſet. Imò certo certius, inquit *Digonius*, in hiſtorijs vèl mediocritèr verſato apparere poterit, quàm inconſtantèr imperij titulus átque cul-

men, intèr vtrámque gentem nutauerit ſæpenumerò, tanquàm incertum quò ſe reclinaret. Sed iſtæ duæ *Babylones*, de quibus tu paulò antè, *Caldaica* nimirum átque *Italica*, ſtare illæ quidèm mihi nùnc cogitatione mea videntur, quaſi duæ arces in orbe ſpectatiſſimæ. Tùm Abbas, non eſt, inquit, alienum quod refers, chariſſime *Digoni*: omnium enim humanorum operum fuerunt maxima. Vtrúmque vt aiunt, à venatoribus ædificari cœptum eſt: quorum alterum circitèr alterius ortum decidere cœpit & antiquam gloriam amittere: alterum verò amiſſa priſtina dignitate, iamdudùm ruinam minitans, partim ſuorum ſcelere, partim hominum iniuria, partim ipſa rerum confectrice vetuſtate, ad interitum vergit. Néque mirum cuiquam debet videri, ſi imperium tanta mole fundatum, tanto tempore ſtabilitum, à talibus viris auctum, tantis deníque opibus confirmatum, aliquandò tamèn corruat: nihil eſt enim humanis viribus elaboratum, quod non ab humanis æquè viribus deſtrui poſſit: quoniàm mortalia ſunt opera mortalium, vt veriſſimè ait *Firmianus* ille *Lactantius* eloquentiſſimus Chriſtianorum ſcriptor. Siccinè tandèm, inquit *Wottonus*, vaticinaris pater *Vochi*? Vbi igitùr quæſo *Iupiter* ille *Vergilianus*, qui *Romanis rerum dominis imperium ſinè fine dedit?* Sanè, reſpondet *Vochius*, tàm mendax ille *Iupiter* apud *Maronem*, quàm eius filia *Diana* apud

Galfredum Monumethenſem, quæ tàm magnificum fictitio *Bruto* dedit reſponſum. Sed in hiſtoria conſcribenda cautior debuit eſſe *Galfredus*, licèt alieno operi, vt ipſe ait, interpres acceſſerit. Vtinámque nobis archetypum ipſum conſeruaſſet, fidem ſuam liberando, non eſſe à ſe hoc ſomnium cùm multis alijs excogitatum. Nàm *Vergilio* venia facilè dari poteſt vt poëtæ, dicente *Horatio*:

——————*Pictoribus átque poëtis*
Quidlibet audendi, ſemper fuit æqua poteſtas.

Cæterùm, tàm confidentèr de rebus nugatoriè confictis, non decet virum grauem, epiſcopum, átque veri aſſertorem ſcribere: nàm veritas eſt hiſtoriæ fundamentum. Sed hæc dùm diſputamus, ſentio nos immodicè à propoſito deceſſiſſe. Minimè quidèm profectò, doctiſſime Abbas, inquit *Wottonus*: nàm dùm nos doces quæ requiremus, facis & quod te decet, & quod nos didiciſſe nunquàm pœnitebit. Expatiare itaque quæſo, quantum & quoúſque lubet, dabimus nos ſanè aures attentiſſimas. Atque ſi nùnc non erit moleſtum, dicas velim nùm Græcos intèr Monarchas vèl Reſpublicas orbis dominatrices poſueris, qui de ſe ipſi atque alijs tàm amplè ſcripſerunt, ac tanta bella confeciſſe perhibentur. Equidem, inquit *Vochius*, de Græcis vt de bonis literis optimè meritis, temperantiùs dicendum cenſeo. Gens fuit ingenioſa, agilis, nihil non imitans, & quę

ab Hebræis fœliciſſimè acceperat, reddens quàm vberrimè. Sed nulla vnquam apùd eos ciuitas, totius *Europæ*, imò nè totius quidèm *Græciæ* imperium obtinuit, multò minùs orbis regimen aſſequuta eſt, cùm *Romanos* atque *Carthaginenſes* rectè nouiſſe adminiſtrare Rempub. *Athenienſes* verò non itèm, à quodam ſit annotatum. Lingua eorum latè patuit, non itèm dominatio. Quælibet ciuitas apùd eos, leges tulit admodùm honeſtas, atque indè aliò delatæ, quarum *Romani* non paucas mutuò ſumpſerunt. Terra maríque latè vagati ſunt, non vt belli imperatores, ſed vt mercatores, terrarum repertores, & rerum nouarum exploratores. Nèc tamèn omninò imbelles, atque inertes extiterunt: *Londinum* namque noſtrum, gentis *Britannicæ* gloria & caput, à *Rhodijs* ædificatum tradunt eruditiſſimi. Fuerunt autèm *Rhodij* pòſt *Phœnices*, *Græcorum* omnium ſolertiſſimi, atque nauigandi peritiſſimi. Neque te conturbet, ſuauiſſime *Wottone*, video enim te quaſi interpellantem, quòd Phœnices *Rhodijs* prætulerim; illi namque hanc laudis gloriam multis gradibus præripuerunt, multis itèm nominibus magis prædicandi. Primíque hominum pòſt *Albionis* terram effectam inſulam, rupto vèl attrito, & abſumptis anguſtijs quæ ducebant ex *Gallia* in *Albionem*, ingreſſi ſunt hanc regionem. *Phœnices* ab ipſa prima *Babylone*, ad mare *Erythræum* exierunt. *Phœnices* indè

indè in *Ægyptum* profecti, *Cabirum*, id eſt, munitionem ædificauerunt: hinc ad mare *Mediterraneum* excurrentes, ibi conditis aliquot vrbibus, & regioni ab ipſis nomine indito, *Europam* atque *Affricam* tantùm non penetrârunt. *Phœnices* mercatores dicti ſunt: *Phœnices* rubri, id eſt, coloribus tincti. *Phœnices* inſidioſi, atque aſtuti habiti ſunt: vndè *Phœnicum* pacta, *Phœnicum* mores, prouerbia emanârunt.

In ſumma, non erit alienum à propoſito, viri docti, átque grauis ſcriptoris imprimis, *Ioannis Lodouici* Viuis, familiaris ac prælectoris omnium veſtri amantiſſimi, adnotata de *Phœnicibus* audire, quoniàm adeſt liber: Sic enim ſcripſit ille in nonum caput octaui libri Diui *Auguſtini* de Ciuitate Dei, rem altius ità repetens. In hac « terra (loquitur enim de *Hiſpania*) antequàm au- « ri argentíque minæ reperirentur, & bella ſunt « perpauca geſta, & multi Philoſophati, & po- « puli ſanctiſſimis moribus vixëre ſecuri quieti- « que. In veteribus Hiſpaniæ libris incredibilia « ferè videantur, quæ de priſca Philoſophia, deq; « moribus ac inſtitutis illorum hominum ſcri- « buntur. Singuli populi à ſeptèm viris rege- « bantur, magiſtratu annuo, præſtantiſſimis eru- « ditione & probitate. æquo & bono tranſige- « bantur res, non legum numerò, etſi ſcriptæ ali- « quot dicuntur, pręcipuè apùd *Turdetanos* mag- « na vetuſtate temporis: lites controuerſiæque «

intèr

intèr ciues propè nullæ. Et omnes, ſi quę erant,
„ de æmulatione virtutis, de natura deorum, de
„ ratione naturæ, de moribus probis, eruditi
„ homines ſtatis diebus publicè diſſerebant, vt
„ fœminæ quoque intereſſent. Arſerunt verò
„ quidam mótes metallis grauidi, & auro argen-
„ tóque eliquatis, cœperunt homines nouam
„ atque inuſitatam admirari materiam. Hinc
„ *Phœnicibus* qui quæſtus gratia totum orbem
„ nauigijs peragrabant, oſtenſis opibus, cùm exi-
„ gui precij rebus permutabant. *Phœnices* quæ-
„ ſtu facili magnóque domi oſtenſo, & ex ea regi-
„ one, & ex reliqua *Aſia Graciáque* ingentem vim
„ hominum ad cupiditatem promptarum diui-
„ tiarum exciuerunt: ità modò numeroſis claſſi-
„ bus, modò ſingulis, binis terniſúe onerarijs na-
„ uibus *Hiſpaniam* ſubindè repetebant. Plures
„ vèl ſoli, vèl cœli bonitate capti, alij metalla pa-
„ triæ penatibúſque præferentes, in *Hiſpania* re-
„ manſere, qui ad ſe cognatos affineſque alios
„ alijs illectamentis pertraxerunt. Tùm frequen-
„ tes ex tota *Aſia* viciniſque inſulis in *Hiſpaniam*
„ *Coloniæ* miſſæ. Hi rudes maliciæ ac vitiorum
„ populos, *Aſiana Gracaque* docuere ſcelera.
„ Hinc ſubitò exorta *Hiſpanis* ſuorum metallo-
„ rum admiratio, & cuſtòdia, hinc lites, hinc ra-
„ pinæ, cædes primùm priuatæ, & latrocinium
„ paucorum, demùm apertum publicumque
„ gentium intèr ſeſe concurrentium, quod vo-
„ cant bellum, ducibus alienigenis & in primis
Phœnici-

Phœnicibus, tantorum non modò in præſens, «
ſed in poſterum quoque malorum autoribus & «
& magiſtris. Tùm occurſum prauis moribus, «
tùm deſitum æquo ac bono fidi, & leges ferri «
cœptæ, conuerſiſque animis ad metallorum «
curam & negotiationem, varijs gentibus bel- «
liſque in *Hiſpaniam* ingruentibus, omiſſum eſt «
ſtudium Philoſophię, arteſq; illæ vt coli deſitę, «
ità & ferè extinctæ ſunt: nam literis contine- «
bantur perpaucis: auditione magna ex parte «
tradebantur, percipiebanturque: quarum reli- «
quiæ pace *Romanis* parta, per aliqua meliora «
ingenia renouatæ, aduentu *Gothorum*, deindè «
Agarenorum ad vulgus perierunt. Reſtat adhùc «
vnus liber, de vetuſtis *Hiſpaniæ* moribus cùm «
notitia illorum temporum coniunctus, lingua «
ex *Hiſpana* & *Gothica* confuſa, quali antę octin- «
gentos annos populus *Hiſpaniæ* loquebatur, «
quem fuiſſe ferunt *Reciſundi* regis, quo tenente «
res *Hiſpaniæ*, vixit *Diuus Alphonſus*. Eum nos «
librum in animo habemus *Latinum* facere, ad- «
iectis quæ ſunt à *Latinis Græciſque* ſcriptoribus «
de rebus *Hiſpaniæ* memoriæ mandata, atque ità «
Hiſpanas origines, quantum à nobis præſtari «
poterit, illuſtrare. «

Atque hactenùs doctiſſimus Viues veſter de *Phœnicum* aduentu in *Hiſpaniam*: quæ cùm vos legitis vèl auditis, amici, nonnè ſubit in animum idem quóque olim *Britanniæ* contigiſſe, ob metallicam ſcilicèt rationem, qua *Cornubia*,

quæ

quæ vulgò *Cornwallia* dicitur, abundat? Feruntur etiàm aliæ huius inſulæ regiones alijs metallis fœtæ, cupro, æræ, ſtanno, plumbo, ferro, quę mare vndíque frequentantium animos, cupidè ſatis allicere potuerunt. Atqui hoc quod prædicas, reuerende Abbas, inquit *Wottonus*, vèl proptèr probabilitatem rei non concedere, ſumma eſſet iniuria. Quinetiàm priuatim, *Phœnicum* appulſu in *Hiſpania*, prudentèr certè hæc à Viue noſtro commentata memini, cùm ipſe etiàm adfuerim eadem conſcribenti, iuuerímque non raro prò mea mediocritate, in conferendis exemplaribus. Tùm Abbas, eſt, inquit, ipſe teſtis tibi, *Wottone*, ſatis locuples, facítque ille tui honeſtam valdè mentionem in illis ſcholijs. *Phœnices* igitùr, docente Viue, ſcelerum magiſtri apùd rudes populos fuëre: quibus tamèn literarum notitiam debemus, ſi modò *Lucano* ad hunc modum canenti credimus.

Phœnices primi, famæ ſi creditur, auſi,
Manſuram rudibus vocem ſignaſſe figuris.
Nondum flumineas Memphis contexere biblos,
Nouerat: & ſaxis tantùm, volucréſq́; feraq́;,
Sculptáq́; ſeruabant magicas animalia linguas.

Rectè itaque ille de literis primùm ad *Græcos* adductis pèr *Phœnices*, quorum princeps *Cadmus* fuit, atque ad alias orbis terrarum partes: quanquàm etiàm illi ipſi eaſdem priùs à *Babylonijs* in *Chaldæa* acceperant. Sed, neque illæ tamèn

mèn ab his, ad omnium gentium populos dimanarunt. Literarum namque notitiam atque vſum alij atq; alij ad diuerſa loca pertulerunt: vt *Rhadamantus* ad *Aſſyrios*, *Anubis* ad *Ægyptios*, *Hercules* ad *Phryges*. Memorantur etiàm *Palimedes* & *Simonides* in eodem laudis ſtudio claruiſſe: prætereà *Beroſus*, *Tricodemus*, atque mulier *Carmentis*, qui in diuerſis orbis partibus rudes homines literarum beneficium docuiſſe perhibentur. Cæterùm, de ijs apùd complures ſcriptores non pauca: nos, ſi placet, ad intermiſſum propoſitum redeamus. Qui igitùr rerum antiquarum diligentes ſtudioſique indagatores extiterunt, qualis ille *Franciſcus Philelphus* fuiſſe perhibetur & reuerà fuit, mèmoriæ mandarunt duos clariſſimos & potentiſſimos duces, *Liberum* nimirùm patrem, atque *Herculem*, qui ambo antè *Troiæ* ruinam claruerunt, in *Britanniam* veniſſe, *Britannis* bellum intuliſſe, atque ab ijſdem in fugam verſos. Dicti ſunt igitùr *Britanni*, antè *Bruti* huius aduentum aùt natales. Quid? quòd *Vliſſes* in hanc inſulam etiàm tùnc dictam *Britanniam* in longo illo errore ſuo, vt ſuperiùs relatum eſt, veniſſe à *Solino* memoratur, arámque in ea quaſi trophæum erectum *Græcis* literis inſcripſiſſe, *Voto*: qui fuit æqualis *Æneæ*, ſcilicèt auo huius *Bruti*, ſi quis vnquàm talis fuerit. Quòd ſi, nè hunc ipſum *Æneam*, initium quidèm glorię gentis *Troianorum* in *Italia*, oſtendi poterit nunquàm in

Italiam

Italiam pòſt *Troiæ* direptionem perueniſſe, ſed tantùm in *Thraciam* claſſe appuliſſe, atque ibi eſſe mortuum: magnum ſanè atque mortiferum vulnus, de *Bruti* aduentu in *Britanniam* hiſtoriæ, videbor inflixiſſe. Quam rem, dùm *Domitius Calderinus* quem *Lilius Gyraldus* de literis benè meritū ſcribit, ex auctoritate grauiſſimorum ſcriptorum aſtruere nititur, citat *Menecratem* atque *Ægeſippum* auctores, qui diſertis verbis *Æneam* patriæ proditorem appellant, quòd vrbem *Troiam Græcis* tradiderit. At *Homerus*, eum in *Troia* pòſt excidium manſiſſe ſcribit: tàm infirmis pedibus incedit hæc hiſtoria. Quinetiàm, ab iſtis qui nobis *Brutum* introduxerunt, is filius fuiſſe perhibetur *Syluij*, qui fuit *Aſcanij* filius, qui patrem habuit *Æneam:* cùm vt quidam putant veriùs, *Æneas Syluium* ſuſceperit filium ex *Lauinia Latini* filia, qui pater erat *Aſcanij*, cui filius *Iulus* fuerat. *Romulus* etiàm atque *Remus*, aliquibus filij fuiſſe *Æneæ* memorantur vt idem docet *Calderinus*, & *Glarianus* quoque in *Liuium* de huius opinionis varietate: qui & ipſe *Liuius* (pace tanti viri dixerim,) non minùs in prole *Æneæ* lapſus eſt aberrando. Cùm itaque, cuius filius fuerit *Brutus* non dùm conſtet, neceſſe eſt vt incerto patre ſit natus, atque ità tandèm populi vèl terræ filius habeatur, hoc eſt, vèl obſcurus vèl ſpurius: ad quem modum naſci ignobilius erit, quàm ex quouis *Troiano*, glorioſum. Quarè, clariſſimè

apparet,

apparet, vt opinor, huius inſulæ nomen non ab hoc *Bruto* quem iſti ſibi confingunt inditum, ſed tercentum ad minùs annis antè *Troianum* bellum ità nuncupatam. Certè, vnicus ille locus apùd *Plinium*, de quo non ità multò antè, licèt eum quóque aliqui malè torqueant, ſatis indicat inſulas circumiacentes dictas fuiſſe *Britannias*, cùm ipſa interìm *Albionis* nomen retineret, quæ ſanè tùnc temporis à nullo *Bruto* nè excogitato quidèm ſic vocari poterat. Hîc tùm *Digonius*: eſt inquit, reuerende pater, in Bibliotheca noſtra, liber quidam manuſcríptus perquàm vetuſtus, ſed nullius auctoris nomen præ ſe ferens: in quo ſcriptum memini, *Britonem* quendam filium *Iſithionis*, qui fuit *Alani* filius de genere *Iapheti*, veniſſe primùm in has terras, atque eis à ſuo nomine nomen indidiſſe. Non pauca inſupèr de primis earum incolis referuntur, longè alitèr quidèm quàm ab alijs ſcriptoribus memoriæ mandatum animaduertimus. Hæc aſſertio quàm vera ſit, illa quidèm non temerè affirmauerim, ſed fides pèr me ſit penès auctorem, quem te Pater aliquandò perlegiſſe non dubito. Ibi tùm *Wottonus*: Sane *Digoni* mi, inquit, ita fit non raró, vt liber ſinè nomine, ſinè honore quoque intercidat. Vtcunque verò ſe res habeat, ego patris Abbatis iudicium ſequar libentiùs, non tàm eius præſentia vèl auctoritate adductus, quæ me mouere nonnihil ſuo iure debeant, quàm

cauſis,

cauſis,rationibus,exemplis ab eo productis,ad veriſimilitudinem imprimis ſpectantibus: præcipuè verò ob *Seruÿ* & *Plinÿ* auctoritates, quos ego duos auctores, antiquitatis principes aſſertores audeo dicere. At Abbas, Ego verò inquit *Wottone*, non tantum mihi concedi cupio quantum tu tribuis, néque ampliùs mihi credi volo quàm rerum facies, atque ipſa veritas poſtulat. Proindè, ſi qua in re iudicium meum requiritis, accipietis apertum, quàm fieri poterit dilucidè atque breuitèr. Sed quem memoras librum, à me lectum fateor *Digoni*. Nec eſt nihil, quod in eo de *Iapheti* nepotibus ſcribitur, à quibus hæ partes orbis terrarum repletæ incolis perhibentur: cùm à *Gomero Iapheti* maiori natu filio primitùs omnes terræ habitatores à *Meotide* vſque ad *Oceanum Germaniæ* occidentalem, *Cimerios* dictos quibuſdam doctis placere videam. Sed magna eſt obſcuritas nominum & generationum, vt maiorem in re vlla putem eſſe nullam.Ità ſoleo equidèm reuera iudicare inquit *Digonius*. Sed omiſſo hoc negotio, ſi placet, peto in hac quæſtione mihi velis ſatisfacere. Oritur enim intèr nonnullos Antiquarios controuerſia, de duabus *Britannÿs*, noſtra ſcilicèt *Albionica*, & *Armorica* illa in *Gallia*, alteriùs altera, atque vtra alteri nomen dederit. At Abbas, Intelligo inquit, frater *Digoni*, à quibuſdam ſatis inſcitè quod veritati repugnat creditum, linguis quóque

que atque calamis defenſum: ſed, mihi credite, de lana illi quidèm caprina contendere videntur, qui hæc diſputant.

Quanquàm venerabilis *Beda* gentilis noſter, qui à prece nomen obtinuit, atque etiàm qui diù pòſt eum nati ſunt, *Pomponius Latus, Volaterranus*, & *Polydorus*, omnes egregiè docti, cùm nonnullis quóque alijs, *Armoricam* illam huic noſtrę cognomen impoſuiſſe tradiderunt. Hęc ſententia, quòd quàm longiſſimè abſit à veritate, in eaque toto ſit erratum quòd aiunt cœlo, non erit difficilè oſtendere, cùm ea quæ *Armorica* dicitur, à noſtris *Britannis* hinc à quodam *Romano* duce abductis olim ibique coloniam facientibus, auſpicijs *Conani* nobilis cuiuſdam *Britanni*, circitèr annum humanæ redemptionis tercenteſimum octogeſimum quartum, appellata ſit. Quî enim potuit noſtræ nomen dare, quæ ipſa tùnc temporis non fuit eodem inſignita? Certè, ex ſuo nomine non potuiſſe palàm eſt, niſi fortaſſè alterius ratione, atque vt Dialectici loquuntur, pèr accidens: quod velim illi nobis oſtendant. Sed aliud quoque ſuboritur dubium ex *Plinio*, qui antè abductos iſtos ex *Britannia* noſtra milites, pèr *Romanum* ducem *Maximum* qui à *Romana* & *Britannica* hiſtoriæ ſcriptoribus pèr contumèliam tyrannus, quòd ſibi ipſe purpuram induiſſet, dictus eſt, *Britannos* commemorat fuiſſe in *Gallia*; non longè ab eo loco quem *Picardi* qui hodiè di-

cuntur, incolunt. Horum ſedes ad *Geſſoriacum* vergunt, qui modò *Caletum*, non *Bolonia* prò *Bononia* dicitur. Nàm quòd *Bononia* antiquum nómen erat maritimi illius oppidi, à nonnullis traditur claſſicis ſcriptoribus: tùm verò apertiſſimè ex *Nicephoro* & *Ammiano Mercellino* conſtat, qui in viceſimo hiſtoriarum libro, vbi de profectione *Lupicini* in *Britanniam* miſſi *Pariſiis* à *Iuliano* tùnc *Cæſare*, contrà *Scotos* & *Pictos* ibi anteà militante loquitur: ità ſcriptum reliquit.
» Dux antedictus, *Lupicinus* videlicèt, *Bo-*
» *noniam* venit, quęſitíſque nauigijs & omni im-
» poſito milite: obſeruato flatu ſecundo vento-
» rum, ad *Rutupias* ſitas ex aduerſo defertur, pe-
» títq; *Lundinium*. Et in eodem libro paulò pòſt:
» *Notarius*, inquit, *Bononiam* mittitur, obſeruatu-
» rùs ſollicitè nè quiſquam fretum *Oceani* tranſ-
» ire permitteretur. Ex quibus luculentèr liquere poteſt, & *Boloniam* eſſe *Bononiam* non *Geſſoriacum*, & *Rutupias* noſtrum eſſe *Douorum*. Nàm cùm *Douor* antiqua voce *Saxonica* nihil aliud ſonet quàm claude antè, aùt obtura antè, vèl quod antè & tanquàm in ore faucibúſque obturatum clauſúmque eſt, deſumpta fuit à re geſta appellatio. Obturauerunt enim portum *Rutupinum*, circitèr annum incarnati Redemptoris noſtri ſeptuageſimum ſecundum plus minus, duce, vt quidam putant, *Aruirago Cantiani*, nè exinde eſſent *Romanorum* ad eos acceſſus tàm frequentes. Sed iàm ad *Britannos* in *Gallia* redeamus,

redeamus, quos *Plinius*, vt modò retuli, ponit ad *Geſſoriacum* vergentes, proximos *Ambianis* & *Bellouacis*. Cæterùm *Strabo*, vt mihi quidèm videtur, propiùs ad *Ligerim* cùm *Narbone* & *Corbilone Britanniam* ſtatuit, quas tres vrbes, eo in tractu ſitas, vocat, vt eſt Latinè redditum, celeberrimas. Vtcunque aùt vbicunque fuerit eorum ſedes in *Gallia*, certum eſt *Britannos* aliquos, quorum origo erat ex *Gallia*, tàm crebros acceſſus atq; receſſus in quoſdam *Galliæ* locos, quàm in *Britanniam* ad ædes ſuas proprias habuiſſe: atque indè principiò vrbem aliquam, poſteà verò regionem finitimam ab illis ibidèm tàm ſæpè támque familiaritèr verſantibus, *Britanniam* cognominatam. Atque erat ſempèr prioribus ſeculis, intèr *Britannos* & *Gallos* magna conſuetudo, atque rerum penè omnium ſummą communitas: adeò vt ipſe *Cæſar* ſcribat, In omnibus ferè bellis *Gallicis*, ex *Britannia* hoſtibus populi *Romani* auxilia ſubminiſtrata, atque ex *Gallia* conſilium *Cæſaris* ad *Britannos* perlatum: vltróque à compluribus eius inſulæ ciuitatibus Legati ad *Cæſarem* venerunt, qui pollìceantur obſides dare, atque imperio populi *Romani* obtemperare. In ſumma, tàm arcta, támque cognata fuit intèr *Gallos* & *Britannos* familiaritas, vt *Britanni* nonnunquàm ſùb *Gallorum* appellatione venirent, & contrà *Galli* prò *Britannis* ſubintelligerentur. Quæ cùm dixiſſet *Vochius*, Itáne inquit *Wottonus*, hæc con-

fidentèr quæ proximo ſermone retuliſti, quæ potiùs meo iudicio penitiùs inquirenda eſſent? An à *Gallica* illa *Britannia*, huius noſtræ inſulæ nomen non profluxit? *Bolonia* an non *Geſſoriacum*, ſed *Bononia* potiùs dicenda? *Rutupiæ Douorium*, & non potiùs *Sandwicū* inaudiendæ? Hęc ſi tibi, Abbas, prò auctoritate tua conceſſero, habebis tamèn repugnantem antiquariorum penè omnium conſenſum. At ille, non quid multi, ſed quàm illud verè dixerint, *Wottone*, perpendendum. Vna conſtans Veritas, vèl ſi illa deſit, veriſimilitudo quæ longiùs ab errore ſeiungitur, inſtàr multarum apùd me auctoritatum eſſe ſolet. Cæterùm, locus ille qui modò ex *Marcellino* productus eſt, nimirùm *Rutupias* ex aduerſo *Bononiæ* ſitas, ſatis declarat non poſſe eo nomine *Sandwicum* intelligi, cùm illud plerumque placidum alluat mare: *Rutupina* verò littora ferueant, fremitu maris atque ęſtu concuſſa, vt eſt apùd *Lucanum*. Hic tùm cùm *Digonius* ſe còmparaſſet ad dicendum, memini inquit, Doctiſſime pater, frequentem eſſe apùd *Romanos* ſcriptores huius littoris mentionem, de quo præclarè *Iuuenalis*:

——————Rutupinóue edita fundo
Oſtrea, callebat primo deprendere morſu.

quæ olim procùl dubiò abundè ibi legi ſolebant, nùnc verò nulla viſuntur copia. Tùm Abbas ſubridens, an tu inquit ea ætate qua es, *Digoni* mi, & cùm oſtreà ſoleas auidiſſimè comedere,

medere, neſcis tamèn apùd *Folſtanum* & præſtantiſſima & maxima indiès colligi, & ad nos Cantuariam, tanquàm ſolum totius Cantij emporium apportari? Quæ cùm ab omnibùs vicinis locis, tùm guſtatus tùm magnitudinis gratia expetantur, tùm verò ab eo littore Romam vſque delitiarum cauſa tranſuehi ſolebant. Totus etiàm illius littoris tractus, qua ſe ex vtráq; parte longè latéque extendit, ob vicinitatem *Rutupinus* dicitur, ab illo memorabili quondam portu, cuius nominis antiqui deflexio vulgò adhùc ſonat *Rudby*, frequentérque celebratur tùm ſermone, tùm ſcriptis multorum: & qui olim fortaſſis à portu *Rutubis* in Mauritania ob conſimilem formam, opportunitatem, vèl rerum commoditatem dici poterat. At *Digonius* noſter, inquit *Wottonus*, ea fortaſſis oſtrea, quæ ab his qui *Rutupias Samwicum* eſſe volunt, nobis oſtendi debebant, requirit, cùm non intelligam aliqua ab accolis ibi expiſcari. Atque de oſtreis hactenùs abundè ſatis. Nùnc verò aliud quippiam reſtat, Abbas, ex *Cæſaris* auctoritate diſcutiendum, nimirùm de legatis ad eum miſſis, à compluribus huius inſulæ ciuitatibus in Galliam. Peto igitùr, an vnico à rege in *Britannia* miſſa legatio, ſatisfecerit ad pacem toti inſulæ impetrandam? Videmus enim, quemadmodùm hodiè vnius legati apùd exterum regem negociatione, ea quæ ad pacem bellúmq; pertinent maximi alicuius regni, adminiſtrantur.

Tùm Abbas, equidèm video inquit, ornatiſſime *Wottone*, quò tua perducat oratio. Te verò monarchiam in *Britannia* illis diebus fuiſſe, tantùm abeſt vt dicam ſomniare: vt *Galfredum Monumethenſem* delirantem, atque idem ſomniantem cùm ſuis ſequacibus deridere arbitrer: qui ab illo fictitio *Bruto*, linea quaſi ducta ad noſtrum vſque tempus, regale imperium totius inſulæ in vna aliqua perſeueraſſe familia impudentèr ſcribunt,& vanè gloriantur. Quo quid cogitando leuius,aùt ſcribendo diſſonantius à verò dici poteſt: cùm quot in inſula ciuitates,tot ferè in *Britannia* reges fuerint. Quam certè eam ob cauſam *Diuus Hieronimus* fertilem tyrannorum appellauit: quod non quidèm de iniquis Principibus, ſed veriùs de regum multitudine, vt *Eraſmo* noſtro placuit, volo intelligi. Cuius adminiſtrandæ,quantum ad *Politiam* attinet, vetus forma apparere hodiè poterit, vt inquit *Polydorus Vrbinas* hoſpes noſter, in ciuitatibus *Italiæ* & *Germaniæ* quæ dicuntur liberæ. Ac nè vos hoc commentum eſſe putetis, audite quæſo ità ſcribentem ipſum *Cæſarem*.
„ Summa, inquit, imperij bellique adminiſtran-
„ di; communi conſilio permiſſa eſt *Caſſinellano*,
„ cuius fines à maritimis ciuitatibus flumen di-
„ uidit quod appellatur *Thameſis*, à mari circi-
„ tèr millia paſſuum octoginta. Huic ſuperiore
„ tempore, cùm reliquis ciuitatibus continen-
„ tia bella interceſſerant: ſed noſtro aduentu

permoti *Britanni*, hunc toti bello imperióque "
præfecerant. Hactenùs *Cæſar*. "

Auditis igitùr *Caſſiuellani* fines flumine *Thameſi* à maritimis terminari: accipitis etiàm communi ciuitatum conſilio ſummam imperij belliqueei permiſſam: poſtremò intelligitis continentia bella ei cùm reliquis ciuitatibus interceſſiſſe: quæ certè quidem omnia minimè ità fieri potuiſſent, ſi totius inſulæ monarcha extitiſſet. Sed poſtquàm proptèr *Cæſaris* aduentum, ab inſulæ incolis propè vniuerſis Syncretiſmus factus eſt: ad commune malum propulſandum, ità vti ſæpè fieri ſolet, communi conſilio, communibuſque viribus conſpirârunt. Sed neq; hij omnium ciuitatum populi, atque reguli fuerunt. Quid enim commemorem *Trinobantes, Cenimagnos, Segontiacos?* Quid *Ancalites, Bibrocos, Caſſos?* qui, tantum abeſt vt *Caſſiuellano* paruerint, vt legationibus miſſis ſeſe *Cæſari* dederint. Sanè profectò, reges in vno hoc noſtro *Cantio* eo tempore non pauciores quatuor fuerunt, *Cingentorix, Caruilius, Taximagulus, Sigonax:* quorum nomina proptèr loci dignitatem *Cæſar* recenſere non dedignatus eſt. Etenim, regum *Britanniæ* non tàm latè tùnc temporis quàm hodiè patebant pomœria, nec eis tàm longæ fuerunt manus. Sed quid iſtis opus eſt ad rem tàm perſpicuam conuincendam, argumentis? *Cornelius Tacitus*, celebris inprimis auctor, qui in *Britannia* cùm ſocero ſuo

Agricola fuit, grauis procul dubiò ac prudens
„ rerum æſtimator, ſic ſcriptum reliquit. *Nèc
„ aliud, inquit, aduerſùs validiſſimas gentes prò
„ nobis vtilius, quàm quòd in commune non
„ conſulunt. Rarus duabus tribuſque ciuitati-
„ bus conuentus: ità dùm ſinguli pugnant, vni-
„ uerſi vincuntur. Quæ cùm ità ſe habeant, vbi
nùnc tandèm, quæſo, ridiculus ille regum cata-
logus à *Bruto* ad *Edwardum* eius nominis quar-
tum vſque continuata ſerie deductus, quorum
nomina diligentèr recenſentur, & imagines
curioſè depinguntur? Tota hæc res, mihi cre-
dite, commentitia eſt. Quaſi verò tùnc tem-
poris, vt noſtra ætate, regnatum eſſet. Varij ac
diuerſi reges cùm poteſtate fuerint illis diebus
neceſſe eſt, quandoquidèm vt anteà annota-
tum, ex compluribus regionibus & nationi-
bus, populus qui *Britanniam* inhabitaret, con-
fluxerat. *Sed meo quidèm iudicio, pòſt *Albio-
nis* appellationem inditam huic terræ, ſiuè à
rupium albicante colore, vt nonnullis mirè
placere intelligo, ſiuè ab *Albione Neptuni* filio,
cui ego hiſtoriæ libentius ſubſcripſerim, cùm in
ea confirmanda videam conſtantē claſſicorum
antiquariorum ſententiam: *Phœnices* mortali-
um primi qua erant ingenij ſolertia, bonam
magnamque huius inſulæ partem occupaue-
runt, à quibus præter alia auitarum conſuetudi-
num monimenta, color ille cæruleus ex glaſto
confectus, in poſteros longa ſeculorum tra-

mite

mite deriuatus eſt. Nàm poſtquàm commutata cæli atque ſoli natura quæ magis ad frigiditatem in hoc noſtro octauo climate declinabat, color qui patribus intenſè niger toti corpori inerat, filijs non nihil, nepotibus verò ampliùs cœpit in contrarium vergere : medicamentis ſanè quidèm exteriùs oblitis quæſitum eſt, vt auorum genuinæ nigredini, nepotum inducta tinctura aſſimularetur. Nèc mirum tàm in cutis infectione, quàm in alijs quoque primæuę gentis moribus hoc ipſum temporis ſpacio diuturniori accidere, quanquàm data opera à poſteris certatum eſt, vt auorum & antiquę originis mores ac ſtudia exprimerentur : cùm in profeſſò ſit, hominum animos vèl priuatæ loci conditioni ſic cõformari, vt indolem facilè perſpicias, vèl ab eiuſdem loci commutatione ità alterari, vt non cognoſcas eoſdem eſſe. Sic benè morati continentis incolæ, Inſulani verò plerumque omnes praui cenſentur. Rurſùs, qui in Orientalibus atque Meridionalibus mundi partibus naſcuntur, homines effæminati atque delicatuli ſunt, emollit enim mores clementia cæli : cuius rigor viciſſim in contrarijs tractibus facit bello indomitos, & hoſtilis ſanguinis auidos. Poſtremò, montani ferè aſperi ſunt atque inculti : molliores corpore atque moribus pratenſes : campeſtres manſueti & ciuiles : rudes & refractarij ſyluicolæ : Paludicolæ inconſtantes, & hebeti ingenio : littorales

rales duri, horridi, immanes, latrocinijs dediti, omnium denique peſſimi; vndè natum prouerbium Maritimi mores, quaſi in ijs omnis omnium crudelitas & barbaries perfunctoriè contineretur. Ità certè, locus inhabitantium ingenia alia atque alia producit, variat: ità nepotum mores ac conſuetudines viuendi, à maiorum ſuorum qui in *Britanniam* ex diuerſis regionibus confluxerant, inſtitutis ac naturis paulatim deſciuerunt. Dico equidèm *Britanniam*, quoniàm iſthmo longè antè exeſo, mercatores qui eam petebant, nauigijs eò aduecti ſunt: quam ſanè, gentem illam quæ eam tunc occupabat, ſicco pede ex continente principiò adiiſſe, minimè dubitauerim. Sed poſtquàm diù in hac terra ab *Albione* atque eius nepotibus, antiquo more, hoc eſt, purè & incorruptè regnatum eſſet, neque enim adhùc, vt eſt apùd Poetam, *Terras Aſtræa reliquiſſet*, qui proximè mortales, *Phœnices* nimirùm, illam negotiandi cauſa ingreſſi ſunt, cùm ipſi gnari fraudum atque voluptatibus dediti, debilitatiſque viribus, minori eſſent corporis ſtatura: cœperunt rudis populi vaſtiores artus quaſi gyganteos admirari, ac prædicare præ ſuis, qui erant tantùm vulgaris magnitudinis, & fortaſſè non multum excedentes

Qualia nùnc hominum producit corpora tellus,

Hic tùm *Wottonus*, Tunè igitùr inquit, grauiſſime Abbas, gygantes olim hanc inſulam poſſe-

diſſe aſſeris, cùm ipſe modò, ni malè memini, eandem opinionem refutaueris diſſerendo? Minimè verò, Doctiſſime *Wottone*, inquit ille, ex *Danai* vèl *Diocleſiani* filiabus natos, & incubis patribus genitos, vt quàm abſurdè ab iſtis confingitur. Neque enim diſputo, quemadmodùm ſpiritus, ſiuè illi boni, ſiuè mali fuerint, cùm humanam formam aſſumpſerint, procreare ſibi ſimile poſſint: cui tamèn ſententiæ ab omnibus Phyſicis video reclamatum. Sed gygantes vèl cyclopas, primos illos terrarum cultores, priuatim verò huius inſulæ, appellare minimè dubitauerim. Quarum certè vocum, quatuor in ſumma ſignificationes animaduerti legenti occurrere. Aborigines verò non dico terra æditos, ſed qui pòſt diſſeminatum pèr orbem terrarum humanum genus, primam genti cuipiam originem præbuerunt: proptèr antiquitatem qua omnes anteibant, gygantum cyclopumque nomine inſignitos inuenio. Talis erat olim *Gomerus Iapheti* maximus natu filius, *Germanis* & *Gallis*: talis eius ex fratre nepos *Tubal Hiſpanorum* gentis fundator: talis denique cùm ſuis comitibus *Albion*, à quo noſtra inſula primam intèr mortales appellationem deſumpſit. Præterea, à corporis artuum inuſitata proceritate & magnitudine, qua erant multis retrò ſæculis præditi homines, priuſquàm vèl libidine corrumperetur paternum ſemen, vèl ad ſenectutem declinans mundus,

parùm validus erat ad producenda ſucculentiora animalium corpora, dicti ſunt etiàm gygantes. Quorum non pauca veſtigia, nimirùm aggeres, caſtella, caueas ſubterraneas, trophæa ſaxea, gygantum choræas, ſepulchra, non ſolùm maiorum noſtrorum ætas, verum etiàm noſtra contemplata eſt, nèc minùs poſtera videbit,

Grandiáque effoſſis mirabitur oſſa ſepulchris.

Huiuſmodi erant qui referuntur à *Virgilio*

Ætnæi fratres, cælo capita alta ferentes,
Concilium horrendum: quales cùm vertice celſo
Aeriæ quercus, aùt coniferæ cypariſſæ
Conſtiterant:

& in ſacris literis, *Dauidis* aduerſarius *Goliath*, cuius immenſitas ab iiſdem deſcribitur: & apùd *Æthiopes* gens hominum quædam octona cubita longitudine excedens, itémque *Syrbotæ* populus ex *Affricæ* parte eiuſdem ſtaturæ, auctore *Plinio*: nèc non tandèm aliquandò ille ex noſtris, *Digoni* frater, anteceſſoribus quidam, non *Alexander*, *Tydeus* certè corpore, animo verò *Hercules*, qui huic cœnobio *Ioannis* regis temporibus præfuit, ſed *Georgius* Abbas, cuius, memini, gygantęa proceritas cùm æquali virium robore coniuncta celebratur. Tertiò verò, qui in Deum ſuprà quàm dici poteſt impij extitere, & qui crudelitatem pluſquàm homines decuit in humanam ſpeciem exercuerunt, & ipſam naturam, quantum in ſe eſt, è medio

dio

dio tollere, cæde ac ſanguine omnia implere conati ſunt, aptiſſima appellatione gygantes dici meruerunt. Huius generis erant, qui *Pelion Oſſæ* imponere ad *Iouem* cœlo deturbandum: qui inauditæ altitudinis turres extruere, ad diuinæ vltionis ſupplicia eludenda, iuxtà illud Poëtæ,

Sed non Cyclopes numen cœleſte verentur:

qui humanis veſci carnibus & ſanguine, quemadmodùm *Scythæ* atque aliæ gentes *Anthropophagæ* voluerunt: qualis gygantum monſtrum *Poliphemus* deſcribitur, qui

——————*vaſto Cyclopis in antro*
Viſceribus miſerorum, & ſanguine veſcitur atro.

Huius farinæ erat *Briarcus* ille centimanus, qui ſcopulis fulminis inſtar proiectis cùm *Ioue* certaſſe dicitur: huius, *Buſiris* qui hoſpites ſuos equis carniuoris dilaniandos ac deuorandos proijciebat: huius denique *Lycaon*, qui condîtas puerorum carnes conuiuarum menſis apponebat. Iſtiuſmodi enim tyrannis, locis non paucis olim, intelligendum, ſubiectum orbis imperium, & vt *Silij* verbis vtar:

Regnatam duro quondàm Leſtrigone terram:

qui ſanè omnes, in ſacra pagina, proptèr nullum diuini numinis ſenſum, tantùm filij hominum, & ob feritatem impuritatémque morum, robuſti Venatores, vt anteà expoſuimus, appellati ſunt.

Poſtremò, qui viri pietate eximia, rerum cognitione

gnitione ſumma, benemeritis in humanum genus, & prudentia, reliquos multarum ætatum mortales ſuperauerunt, quíque monſtra terras vaſtantia, qualiáque proximè commemorauimus deuicerunt, & è terris funditùs ſuſtulerunt, cyclopum quoque ac gygantum nomine antiquitùs appellandi veniunt. Talis erat olim *Iouis* filius *Argiuorum* rex *Apis*, qui miſertus rudium *Ægyptiorum*, relicto proprio regno, eos omnem pietatem, iuſtitiam, prudentiam & agriculturam docuit. Talis *Mauritaniæ* rex *Atlas*, qui Aſtronomiam, ſtellarum, ſolis, lunæ ac reliquorum ſyderum motus oſtendit, vt cælum humeris ſuſtinuiſſe à poëtis fingeretur. Talis *Orpheus*, qui bruta animantia atque ipſa etiàm ſaxa, cytheræ cantu, hoc eſt, rudes & agreſtes populos eloquenti oratione & verborum lenocinijs, ad moderatiorem vitæ curſum inſtituendum, ad ciuitates condendas atque colendas pertraxit. Talis denique *Hercules* ille *Libycus*, cuius opera in monſtris domandis, & omni peſtis genere terris repurgandis, literis ac linguis doctorum celebratur. Iſtis Cyclopibus vnicus oculus, íſque in fronte fuiſſe dicitur: cùm certè non quibus ſenſibilium ſpecies cernimus veri oculi ſint, ſed potiùs quibus præterita reminiſcimur, præſentia contemplamur, futura pręuidemus, videlicèt memoria & rerum prudentia, quarum illis ſedes non in vultu vt materialibus fuit, quibus tamèn illi non carebant,

bant, ſed in cerebro vt intelligibilibus oculis. Quocircà, cùm à nobis quatuor in vniuerſum gygantum cyclopúmque genera quæ intèr legendum occurrebant numerentur, de quibus ſpeciali inſtituta tractatione in commentarijs *Adrianus Iunius*(quanquàm hæc citrà eius commentarios, ex plurimorum auctorum lectione annotata ſint) qui ſcilicèt ab antiquitate, corporis magnitudine, impietate, benemeritis, nomen gygantum tanquàm ex dignitate inuenerunt: ab horum genere aliquo hanc noſtram *Britanniam* principiò habitatam, non erit iniquum, ſuauiſſime *Wottone*, confiteri. Ac de primæ quidem conditionis gygantibus nequaquàm arbitror eſſe obſcurum: dùm adhùc in cauernis & foueis habitatum eſſet,

Nèc ſcilicèt duro, ſtructiliue cæmento,
Nèc latere cocto quo Semiramis longam
Babylona cinxit, *regum palatia extructa erant,* nèc rudis populus condendarum ædium, multò minùs ciuitatum, ſcientiam calleret. Quo ſanè tempore, non conuiuijs ſecundíſq; menſis ad multam noctem inuigilatum, non eſculentorum poculentorúmque delitijs, non veſtium luxui indultum: ſed quæ alimenta ipſa terra primùm ſponte ſua, poſteà verò incondita quadam adiuta agricultura producebat, parcè ad arcendam famem ac ſitim, non ad excitandam gulam liberaliùs ſumebantur. Veſtitus erat, non quem ingenium ad faſtum, ſed neceſſitas ad

ad tegumentum excogitauerat, nempè ex pilis & corijs animalium, quæ nonnunquàm confecta venatione, carnes prębebant in dapes lautiores: verùm eò rariùs, quò minùs in actum adhùc veniſſent homines, nèc ferarum, volucrum & piſcium capiendorum artificium cognoſcerent. Hæc vita primorum parentum fuit, hæ antiquæ gentis *Albionicæ* nondùm aliarum nationum inquinamentis turpificatæ ab initio conſuetudines: à quibus quantò hodiè longiùs deceſſum eſt, tantò corruptiùs viuitur. Quarum etiàm formam aliquam, ſed longo pòſt tempore natam, vt non tàm ſimplices videantur, quàm quæ à nobis traditę ſunt, *Diodorus Siculus*, deſcriptam reliquit, dùm ait: *Britanniam* tradunt incolæ aborigines, qui priſcorum more vitam degunt. Vtuntur in pugna curribus, veluti antiquos *Græcorum* heroës vſos in bello *Troiano* ferunt. Moribus ſimplices integrique exiſtunt, longè à noſtrorum hominum aſtutia verſutiáque remoti. *Herodianus* etiam in *Seueri* vita, non valdè remotos ab antiqua bellicę virtutis ſimplicitate *Britannorum* mores, ſic deſcribit. *Britanniæ* pleráque loca frequentibus *Oceani* alluuionibus paludeſcunt: pèr eas igitùr paludes barbari ipſi natant excurſantq; ad ilia vſque demerſi, ac pleráq; corporis nudi cœnum contemnunt. Néque enim veſtis vſum cognôrunt, ſed ventrem atque ceruicem ferro incingunt, ornamentum id eſſe, ac diuitiarum

argumentum

argumentum exiſtimantes, perindè vt aurum « cæteri barbari. Quin ipſa notant corpora pictura varia, & omnifariam formis animalium, « quocircà nè induuntur quidèm, videlicèt pictu- « ram corporis nè adoperiant. Illa verò quæ « ſequuntur à *Dione* ſcripta, quantum quæſo mutatos ab illis primis *Britanniæ* colonis denotant? Iàm verò principum filij liberalibus arti- « bus erudiuntur, & ingenia *Britannorum* ſtudijs « *Gallorum* præferuntur: vt qui modò linguam « Romanam abnuebant, eloquentiam concu- « piſcerent. Indè etiàm habitus noſtri honor, & « frequens toga, paulatimque diſceſſum ad deli- « nimenta vitiorum, porticus, & balnea, & con- « uiuiorum elegantiam. Idque apùd imperitos « humanitas vocabatur, cùm pars ſeruitutis eſſet. Itaque legitur etiam alibi apud eundem, quod his ſtatim verè ſubiungi poterit: Mox « ſegnitia cùm otio intrauit, amiſſa virtute pari- « tèr cùm libertate, quod *Britannorum* victis eue- « nit. Hæc illi. Nèc defuerunt noſtræ *Britanniæ*, cæteræ omnes gygantum cyclopumque ſpecies: quas etſi non eſſet difficile, non eſt tamèn huius loci demonſtrare. Sed nos intereà, quid agimus? Video enim quemadmodum noſtrûm oblitos, nos ſeruus atque ipſum tempus nimium opportunum, ad reficienda corpora auocet. Si quæ verò adhùc reſtant diſputanda, in quibus vobis prætereà ſatisfieri cupitis: ad ea nobis à cibo dabitur ocium. Quæ cùm dix-

iſſet reuerendus ſenex, ſurrexit de ſede: quem perhumanitèr ad prandium inuitantem, continuò ſequuti ſumus.

FINIS.

LIBER SECVNDVS.

QVùm multæ res in antiquitate, maiorum noſtrorum ſcriptis nequaquàm ſatis adhùc ſint illuſtratæ, tùm perdifficilis, fili *Thoma*, quod te nùnc minimè ignorare arbitror, & perobſcura quæſtio eſt, de huius noſtræ *Britanniæ* primis cultoribus, quæ ad agnitionem tàm abſtruſæ veritatis iucundiſſima eſt, & ad intellectum hiſtoriarum neceſſaria. De qua ſanè, variæ ſunt, fateor, doctorum hominum, & diſcrepantes, vt vides, ſcriptorum ſententiæ: vt intèr multa quę adhùc incerta manent, niſi certis rationibus comprobentur, nihil hac vna re incertius, & à qua tutius fuerit aſſenſionem cohibuiſſe. Itaque, quid temeritate quorundam hominum turpius, aùt magis indignum prudentum ſcriptorum grauitate atque cognitione, non video, quàm aùt prorſus falſum ſentire, aùt quod non ſatis exploratè perceptum ſit, ſinè vlla dubitatione proferre, ſinè vlla veri-

ſimilitu-

ſimilitudine colligere,ſinè rationum momentis defendere? Velùt in hac quęſtione *Galfredus Monumethenſis* & qui poſteà ex eius ſchola plurimis erroribus deformata prodierunt, antè quem, qui *Stephani* regis temporibus vixit,nemo inuentus eſt, qui à *Bruto* primùm habitatam hanc inſulam, atque ab eius nomine nomen inueniſſe affirmaret. Sed cùm ex multis grauiſſimorum virorum ſcriptis liquere poſſit, vèl quàm incerta, vt leuiùs dicam, vèl quàm falſa, vt veriùs, ſit hęc opinio: ſic te aùt prorſùs reijcere illius, aùt omninò poſthabere noſtram ſententiam, par eſt, vt minùs firmis argumentis quamque videris ſtabilitam. Neque ſatis mirari potero, quæ cauſa *Galfredum* voluntate in tantum errorem induxerit, aùt quarè *Cambri* noſtrates, gentis *Britannorum* antiquiſſimæ & clariſſimæ relliquiæ, non potiùs à *Græcis* victoribus,quàm à deuictis *Troianis* genus ſuū deducere geſtiant: cùm non omnes *Troiani* nobiles fuerint,nèc quæcúnque in orbe terrarum gens eſt honorata, à *Troianis* originem traxerit. Itáque, non ſolùm antiqui libri, & peruetuſta quædam noſtræ gentis monumenta quæ in multorum manibus ſunt, iuuare plurimùm iudicium tuum potuerint: verumetiàm *Caij Cæſaris* in Commentarijs,de hac controuerſia opinio: quocùm me quod verum eſt ſentire autumo, & ſi quidèm ille à veritate aberrauit,cùm eo falli equidèm minùs grauatè

tulerim. Neque huius auctoritas ſolùm, quanquàm ea non vecordibus hominibus ſatis eſſe poterit ad confirmandam huius negotij fidem, quantum par eſt ponderis afferet, verumetiàm ſcriptorum omnium *Romanorum:* qui, atteſtante *Plinio*, viſi ſunt alteram lucem rebus humanis attuliſſe. Quam vtique lucem, certè quidèm quantum ad præſens inſtitutum attinet, & libentèr amplectimur, & ſuperiori libro ſequuti ſumus, & deinceps in ſequenti, quandocunque dabitur occaſio, perſequemur. Neque iſtud quidèm in hoc Commentariorum opere ſolùm fecimus, quod ad idem ferè demonſtrandum data quaſi opera conſcripſimus, ſed etiàm in omni ſcriptionis genere, in quo nos poſthàc modò vitæ diuturnioris vſum Altiſſimus conceſſerit, deſudare contigerit. Habemus enim nonnulla in manibus, quorum fortaſſis hæ vè his conſimiles poterint eſſe inſcriptiones videlicèt, Qui populi in vniuerſum *Britanniam* deuicerint & coluerint : itèm, De fundatoribus & fundamentis vrbium, oppidorum, & caſtellorum *Britanniæ :* nèc non, De antiquitatibus vrbis *Cantuariæ :* & poſtremò, De ſcriptoribus antiquis tàm Græcis & Latinis, quàm noſtratibus & barbaris, qui *Britanniæ* atque eius rerum antiquarum fecerunt mentionem. Tituli operum potiùs adhùc, quàm vera opera. Temporum verò non tàm longè abhinc remotorum ſunt: vitæ, mores, ſtudia & fortunæ r

gu

gum *Angliæ*, à *Guilielmo Normanniæ* Duce, ad illuſtriſſimum regem *Henricum* eius nominis octauum: Itèm, de Republica, & *Proceribus Angliæ*: Rurſùm, Hiſtoriarum ſiluæ, horum Commentariorum argumento affines: & prætereà, Illuſtrium aliquot virorum Angliæ vitæ. In quo quidèm opere, præterquàm quòd plurimorum ob virtutem, ingenium, literas, communi quaſi mortalium conſenſu celebratorum meminimus, quorum nomina non neceſſe arbitror hîc recenſere: illis nihilominùs haud quaquàm defuimus ſummis ſanè viris, quibus aùt beneficijs obſtricti, aùt familiaritate coniuncti fuimus, vt quam poteramus ſaltèm aùt gratiam, aùt memoriam ſcriptis conſignaremus. Quæ enim obliuio vèl minor, vel certè morti par, vnquàm poterit *Anthonium Aucherum* equeſtris ordinis virum fortiſſimum, ex animo noſtro delere: quod tempus, ſuauiſſima colloquia, coniunctiſſimam neceſſitudinem obliterare? Qui cùm *Caletum* oppidum quod potuit, contrà Gallorum exercitum defenderet, vnà cùm *Ioanne Auchero* maximo natu filio ſtrenuè pugnans occiſus eſt: ille inquam, qui vita digniſſimus cùm filio erat, ſed nùnc vt eſt apùd illum,

Qui benè prò patria, cùm patriáque iacet.

Quæ itèm eius æqualem, paríſque dignitatis *Henricum Criſpum* totius inſulæ *Thanati* propè dixerim regulum: cuius prudentis in admini-

ſtranda *Cantia* Republica, grauitas & hoſpitalitas, dùm *Cantium* erit, habebuntur in memoria? Quæ eius fratrem *Gulielmum Criſpum* Douorienſis arcis præfectum fideliſſimum: & qui antè eum fuit *Thomam Moningſum*, ex antiqua *Moningſorum* familia? Quæ *Thomam Hardreſum* prudentiſſimum virum, huius *Richardi* iuuenis patrem, mihi iuſtis de cauſis memorandum? Quæ *Gulielmum* & *Henricum Oxendenos* fratres, nobis ſanguine coniunctos? Quæ *Danielem Eueringum* ex *Eueringa* parochia affinem noſtrum, in qua maiores ſui, quemadmodùm in alijs quidem omnibus qui principatum in parochiam ſui nominis exercent, clarum eſt, antè *Normannorum* victoriam terrarum dominatum obtinuêre. Quæ denique *Gulielmum Louelaceum*, iuris regni *Anglici* peritiſſimum? Taceo verò nonnullos alios, videlicèt *Kinderum* vtrúmque fratres, quorum demortuorum teſtamentis res noſtræ non parùm auctæ ſunt: *Paitonem Knoultonenſem*, *Wigmorum*, *Coppinum*, *Leweſum Philippi* generi mei parentē, *Petitum*, *Enghamum*, *Hordenos*, *Gaſonem*, *Binghamum*, *Cauntonem*, *Thorneheuxum* hujus *Stephani* noſtri frugalem patrem, *Pekum*, *Patchum*, *Darellum* antiquitatis callentiſſimum, *Morbredum*, *Paulinum*, *Pullenum*, *Sethum*, cuius in plantandis ac inſerendis pomis mira fuit ſolertia & fœlicitas. Cùm quibus quandoquidèm quotidiana mihi conſuetudo interceſſit, non poteſt

teſt non gratiſſima eſſe eorum beneuolentiæ recordatio. Prætereo etiàm *Paulum Richmundum* materteræ tuæ *Mariæ* priorem virum, *Franciſcum Rutlandum* conſobrini tui *Nicholai* patrem defunctum, *Henricum Aldæum, Ioannem Widopum*, qui tres viri, *Aloëtiæ Piperæ* matris tuæ optimæ fœminæ ſorores pulcherrimas, ſed *Mariam* pòſt *Richmundi* fata *Aldæus*, in vxores duxerant. Nèc *Reginaldus Wolfius Londonenſis* typographus regius, vir bonus, ac benè doctus, natione *Germanus*, noſtri amantiſſimus, ſilentio prætermittendus, cuius amicitia re ſalua ac perdita mihi vſu conteſtata eſt: qui arcis *Londonenſis* olim ergaſtulo ſolutum in ædes, ſitu ſqualoreque obſitum, recepit, priuſquàm in dulciſſimam patriam & ad ſuauiſſima pignora reuerti licuiſſet. Quorum ſanè virorũ omnium & aliorum quidèm ampliùs, quibus hîc breuitatis cauſa ſuperſedeo, voluntas & ſtudium nunquàm animo meo excident donèc hac vita ſuperero: quandoquidèm amicitiæ debent eſſe immortales, & quæ deſinere potuerunt nunquàm fuerunt veræ. Illius verò tàm luctuoſi temporis, ſiquidèm vnquàm potero obliuiſci, ætas tua memoriam renouabit, qui paucis diebus antè reditum meum natus es: quanquàm tàm acerbæ conditionis raro admodum obrepere ſoleat obliuio, dùm, vt eſt illud *Ciceronis*, Cui placet obliuiſcitur, meminit verò cui dolet. Nèc defuerunt quidèm qui noſtris malis

aliquam moleſtiæ acceſſionem indiès addere non deſtiterunt, qui humi deiectum ſperabant non poſſe reſurgere, & cum pennas incidiſſent noluerunt eaſdem renaſci : quos ſanè nè leui cogitatione dignarer, ſiquidèm in noſtra poteſtate ſitum eſſet tàm obliuiſci iniuriarum, quàm tacere. Sed & huius miſerandæ calamitatis & cauſam, & auctores, & qui rurſùs, auxiliatrices manus afflicto porrexerunt, arrepta occaſione fuſiùs expoſuimus vbi de ijſdem viris quos modò nominaui, non tamèn prorſus data opera, luculentam mentionem fecimus. Verùm, ornatiſſimi *Nicholai Wottoni* atque *Digonij* multò quidèm clariùs in eodem libro meminimus, itémq; vberrimè Abbatis *Vochij*, cuius doctiſſimus *Wottonus*, ſi quandò incidit ſermò, ſempèr prædicare prudentiam atque rerum omnium cognitionem ſolebat, nèc dubitare eum in omni ſermone appellare reuerendum. Quem, cùm de quocunque propoſito argumento prouocatum, non illibentèr diſſerentem audiuiſſet : tùm de antiquitate ſæpiſſimè aliâs, ac nùnc quidèm, vt cecidit, quàm auidiſſimè. Itaque effectum eſt, vt finito prandio, poſtquàm in porticum animi cauſa deambulatum proceſſiſſemus, nèc eſſet multus dies, vt ſol nè nimium quidèm in occaſum properans, expectatione citiùs veſperam adueheret : plurimùm ibi cupere ſe aiebat *Wottonus*, vt cœptum ille ſermonem, vbi ſibi abruptus videbatur,

batur, denuò renouaret, & ad legitimum finem perduceret. Cùm enim multa initio, vel propoſuiſſe, vel promiſiſſe viſus eſſet, quæ dicendo percurreret priuſquàm diſputationi extremam metam imponeret, requirere ſe ea tùm iure ſuo dicebat: quandoquidèm quæ lautius pollicitus ſit quiſpiam, ea vulgò ſoleant prò verè rebus debitis æſtimari. Ac ſiquidem tibi minùs moleſtum futurum ſit, reuerende Abbas, nèc te grauiores auocent occupationes, noſti enim quàm libentèr ſumus te ſempèr audituri de quacunque quæſtione diſputantem: rogamus certè te omnes, inquit *Wottonus*, *Digonium* atque me quoque intuens, vt de *Albione* primo huius inſulæ colono decurſum perſequare, à quo te modò auocauit non iniucunda digreſſio de gygantum quadrifariàm diuiſa ſignificatione. In qua, prẹterquàm quòd mihi de gygantibus cyclopibúſque in genere ſatisfactum gaudeo, à talium certè quidèm aliquibus mortalibus habitatam olim hanc inſulam, nunquàm adducar poſthàc vt pernegem. Quanquàm gygantum nomina, à poetis plerumque, nèc non à fabularum ſcriptoribus, ad puerorũ & muliercularum terriculamenta vſurpata à multis creduntur: quaſi rebus fictis, aut ſuprà fidem elatis, nullæ ſubeſſent ſolidæ veritatis ſubſtantiæ. Quæ ſanè opinio, non ſolùm te exponente erroris conuincitur, ſed ipſa res etiàm loquitur, tàm vaſtæ molis virorum oſſa, de

quibus

quibus tu paulò antè, quæ terra aliquandò eruta vèl in priuatis domicilijs oſtenduntur, vèl locis publicis cathenis ferreis ſuſpenduntur, gyganteum quandóque populum in his terris viguiſſe. Nèc quòd ipſa quoque nomina quorundam, reliquerit tradiderítque nobis quaſi pèr manus antiquitas, quorum ſepulchrorum, aggeres ac montes certi, hodiè retinent appellationem, prò meris nugamentis ducendum eſt. Quorum equidèm quædam nominare non grauarer, modò non eſſet præter inſtitutum: vt cum te, *Vochi*, de alijs rebus audire voluerimus, interim tempus nugando conteramus. Et nè ea rurſùs quæ abs te modò adducta ſunt, gygantum veſtigia recenſendo actum agere videar: neſcio an illa de *Gog* & *Magog* citrà *Granthamiam* non procùl à *Cantabrigia*, prorſùs in fabulis habeatur mentio: nèc non quæ apùd *Chilham*, *Ailſfoord*, *Tylburie*, *Dunburie*, *Kingſclere*, *Heiclere*, *Burclere Rollerichſtones*, *Stonehenge*, cùm multis alijs *Britanniæ* locis veritate in vniuerſum careant, ibidèm quædam gyganteæ molis extare non obſcura indicia. Multa enim ſunt apùd nos loca, quæ in *borough*, *burie*, & *berie* terminantur, quæ abs te ſæpiùs memini, aliquandò prò ſedibus vèl ſepulchris expoſita, vbi vèl exercituum caſtrametationes, vèl moles mortuis impoſitæ fuerunt, haùd ſcio an horum aliquibus gygantum monumenta contegantur. *Henrici* verò

huius

huius noſtri temporibus, paucis elapſis annis, ex frequente paſtoris ſomnio eidem regi indicato, ab eodem imperatum eſſe recordor, vt agger quidam *Baramduna* effoderetur. Quod cùm impenſis *Chriſtophori Haleſij* equeſtris ordinis viri,& ſacrorum ſcriniorum Præfecti,cura verò *Gulielmi Digſij* generoſi fieret,ſub incredibili terrę ac aceruo,ingens vrna cinere oſſiumq; maximorum fragmentis plena, cùm galeis ac clypeis æreis & ferreis rubigine penè conſumptis inuſitatæ magnitudinis,eruta eſt. Sed nulla inſcriptio nomen,nullum teſtimonium tempus aùt fortunam exponebat. Hoc verò te, ſat ſcio, tàm propè abſentem, tàm antiquitatis cupidum præterire, Abbas,non potuit. Plurà ſanè hoc exemplo clariora multò, gygantei olim apùd nos populi teſtimonia in medium afferre potuiſſem, niſi, inquam, eſſet alienum ab eo quod agimus,& auribus tuis iniucunda narratio. Minimè ità verò, doctiſſime *Wottone*, inquit Abbas, quandoquidèm rem veram cùm de gygantum ſepulchris retuleris,mihi viſus es, quanquàm prætèr multorum obſeruationes, confirmare. Neq; me fugit effoſſum ſepulchrũ de quo narras,qui antiquam materiam erutam conſpexerim. Sed in præſenti quod requiris, geram equidèm tibi morem, nec erit mihi moleſtum ſuſcipere, quod tibi atque iſtis communibus noſtris amicis gratiùs futurum intellexero: ſcilicèt, vt ad *Albionem* denuò reuerſi,

totum

totum hunc diem diſputando ad veſperam vſque, ſi placet,perducamus. Vt igitùr *Albionem* atque eius comites, imperium atque ſedes in hac terra obtinuiſſe concedamus, cuius regnum ſinè controuerſia, vt tùnc erant tempora quoquo modo vocari deberi aſſero, deficiente in re tam neceſſaria antiquitatis memoria clariore: *Edwardus* ille rex, qui ob vitæ innocentiam ſanctimoniamque Pius appellatus eſt, in quibuſdam donationibus & priuilegijs cænobio *Abbingdonenſi* conceſſis, ſe regem & primicêrium regni *Albionis* vocat, quod non ità pridèm mihi legere contigit. Sed cùr nulla hîc *Bruti* mentio? Equidèm arbitror Romanos tàm diù hanc inſulam ſub imperio retinentes, viros tàm prudentes, tàm diligentèr de primis huius inſulæ incolis ac eorum origine perquirentes, ſi cognouiſſent *Bruti* hiſtoriam, reticêre noluiſſe. Quæ fama, qui libri, quę antiquitatis monumenta, eos vèl præterire, vèl latêre potuerunt, ſi vlla *Troianæ* gentis ſcintilla viſa fuiſſet,

———*vèl ſi teſticuli vena vlla paterni*
Viueret in illis? vt eſt apud Poëtam.

Sed non erit alienum, vt arbitror, ab inſtituto eiuſdem *Taciti* quem modò citaui, iudicium de inſulæ incolis in medium adducere: quod
,, ità quidèm ſe habet. Cæterùm, *Britanniam* qui
,, mortales initio coluerint, indigenę an aduecti,
,, vt intèr barbaros, parùm compertum: habitus

corporum

corporum varij,atque ex eo argumenta. Nam- «
que rutilæ *Calidoniam* habitantium comæ, ma- «
gni artus,*Germanicam* originem aſſeuerant. *Si-* «
lurum colorati vultus,& torti plerunque crines: «
& poſitu contrà *Hiſpaniam, Iberos* veteres traie- «
ciſſe, eáſque ſedes occupaſſe, fidem faciunt: «
proximi *Gallis* & ſimiles ſunt, ſeu durante ori- «
gine vi, ſeu procurrentibus in diuerſa terris, «
poſitio cœli corporibus habitum dedit. In vni- «
uerſum tamèn æſtimanti, *Gallos* vicinum ſolum «
occupaſſe credibile eſt: eorum ſacra depre- «
hendas ſuperſtitionum perſuaſione: ſermo «
haùd multùm diuerſus: & quæ ſequuntur,quę cuiuis *Tacitum* legenti in vita *Agricolæ*, liquêre poſſunt. Quæ cùm eloquutus eſſet *Vochius*, paruámque dicendi moram interpoſuiſſet: animaduerti, honorate pater Abbas, inquit *Digonius*, non pauca eadémque momenti non mediocris ex his *Taciti* verbis annotanda, quæ tacente te, nè moleſta eſſe poſſint, leuitèr conabor perſtringere. Primum eſt,ipſos *Britannos* ſuam ipſorum originem ignoraſſe,quod vitium quaſi barbaris hominibus proprium illis obijcit, vt *Strabo* omnibus boréalibus gentibus, intérque eos pręcipuè *Gallis*. Poſteà,corporum varios habitus fuiſſe docet, ex eóq; argumenta ſumi poſſe, eos ex varijs regionibus durante adhùc originis vi, confluxiſſe. Siquidèm *Calidoniam* incolentium comæ rutilæ fuêre, magníque corporum artus, vt facilè in his agnoſcas

Germa-

Germanicam nationem. Denique *Silures* colorati referuntur, quorum crines torti erant, & ſedium poſitus contrà *Hiſpaniam*: Coloratos dixit, fortaſſis iuxtà illud *Maronis*:

Per diuerſa ruens ſeptem diſcurrit in ora,
Vſque coloratis amnis deuexus ab Indis.

non pictos aùt glaſto infectos, quod *Caſar* de omnibus *Britannis* ſcripſit: verùm retinentes primæ ſuæ originis notam atque formam, tàm in corporis habitu, quàm in vultu crinibúſque expreſſam. Hij certè quidèm, ſicùt ego exiſtimare ſoleo, eóque magis iudicio tuo adductus, *Phœnices* fuerunt: qui primùm in *Hiſpaniam* aduecti, illinc in *Britanniam* negotiaturi profecti ſunt. Conuenítque tota hæc oratio, cùm eo quod eſt abs te, reuerende Pater, non ità pridèm adductum, cuius exemplar ex *Lodouici Viuis* relatione de *Phœnicum* aduentu in *Hiſpaniam* deſumptum eſt, nèc iniuria de eorundem in *Britanniam* quoque appulſu credi debeat. Quinetiàm *Mauros* in *Britanniam* aliquandò traieciſſe, antiquitatis ſtudioſis non ſit dubium, quorum vultus & crines *Silures* referebant: quanquàm *Tacitus Iberos* ſedes ibidèm occupaſſe memorat, cùm *Phœnices* ſeu *Mauros* ex *Iberia* profectos in *Britanniam* tranſfretaſſe intellexiſſet: & *Æthiopes* etiàm poſteà longo temporis decurſu, *Monam* inſulam vaſtaſſe atque occupaſſe referat *Madocus*. Poſtremò, proximi *Gallis*, *Gallorum* ſimiles eſſe perhibentur: quanquàm

quanquàm veriſimilitudinem in vniuerſum æſtimanti, *Gallos* vicinum ſolum occupaſſe credibile eſt, quod ſanè ex *Cæſare* quoque manifeſtè ſatis conſtat. Quid multa? *Gallos* in *Britannia* portus quoſdam tenuiſſe, non ſecùs quàm hodiè *Luſitani* vltrà mare *Mediterraneum* in *Affrica* maritimas aliquas vrbes ac propugnacula poſſident, liquet ex bello *Veneto* cùm *Cæſare* geſto à *Gallis Venetis*. Quæ cùm dixiſſet *Digonius*, Equidèm inquit *Wottonus*, facilè tibi in hoc aſſentior *Digon*. neque vnam aliquam nationem pòſt *Albionem* hanc terram coluiſſe tecum exiſtimare me, lubens conceſſero. Quod niſi ità eſſet, vndè tot ciuitates à totidèm regibus conſtructę, atque eodem tempore ſub imperio retentæ? Vndè tot continentia bella intèr moribus atque habitu corporis differentes populos geſta? atque ità geſta, vt cùm communis hoſtis toti inſulæ ferro flammáque excidium minitaretur, nulla conſultatio intèr çiuitates de communi periculo propulſando haberetur. Acerbum illud profectò dictu, ſed perpeſſu longè grauius: Dùm ſinguli pugnant, vniuerſi « vincuntur. Verùm quantò tutiùs de totius *Britanniæ* viribus in vnum contrahendis cogitaſſent, ſi illud occurriſſet: Concordia paruæ res « creſcunt, diſcordia maximæ dilabuntur? De « barbaris quidèm, *Wottone*, te nùnc loquutum intelligas, inquit *Vochius*, qui quod tu tàm prudentèr ſuades non præſtitèrunt, quia barbari.

Hæc omnia redeunt ſanè ad id quod dixi modò, ex diuerſis locis diuerſos colonos atque aduenas, hos ob vnam, illos ob aliam cauſam confluxiſſe : Mercatores ſcilicèt ad album plumbum effodiendum, agricolas vt ſementem facerent, extorres vt ſedes ac domicilia fundarent, aliquos ſuauitate aëris ac cœli bonitate allectos, nonnullos verò fortaſſis ob flagitia domi perpetrata, ſolum vertiſſe. Vndè enim mos ille vulgaris apùd nos, tàm viris quàm fœminis hodiè annulum in medio digito geſtandi? Vndè priuatim viris barbam abradendi præterquàm in ſuperiore labro conſuetudo, niſi à *Babylonijs* ? Ab his etiàm cymbarum ac lintrum vimineorum inuentio profecta : quibus animalium corijs obductis (non enim mercimonijs, non nauigijs ſcilicèt maioribus antiquitùs vexabantur, teſte *Gyraldo*) contenti nimirùm veteres illi pòſt patrum ſuorum Orientalium appulſum *Britanni*, piſcaturæ operam dare, pèr littora ad amicos & contribulos ferri & referri, ad loca adhùc incognita penetrare, nonnunquàm verò expanſis velis altum mare ſulcare ſolebant. Quorum ſimiles, cùm eſſet in *Britannia Cæſar*, ab incolis fortaſſis edoctus, è lentis viminibus in ſuos vſus contexuit : taléſque hodiè viſuntur alicubi in *Britannia*, in locis paluſtribus vbi frequentèr vimina proueniunt naturæ ductu vèl arte conſita, & iuxtà inſulas amnicas vbi aquæ maiora nauigia non ſuſtinent.

ſuſtinent. De quibus vitilibus nauigijs, ſic enim à nonnullis dici intelligo, corio circumfuſis alicubi ipſe *Cæſar* & in eum *Rhellicanus*, nèc vno loco *Plinius*, qui ea in vniuerſum & ex ſyderum obſeruatione nauigationem *Phœnicum* inuenta eſſe docet: quibus eodem auctore, *Britanni* minores inſulas ad album plumbum, atq; alia commoda exquirenda & importanda petebant. Equidèm, quod núnc memoriæ meæ occurrit, repetere vobis, Amici, non grauabor. Nuſquàm in orbe terrarum ruſtica ędificia quæ latinè teguria, magalia verò vèl magaria Punica lingua appellantur, auctore *Seruio*, ſimiliora Punicis illis inueniri, quàm quæ nùnc in quibuſdam ruribus & glabretis *Cambriæ* viſuntur: vbi fœminæ etiàm antiquo *Punicarum* muliêrum habitu incedunt, ità vt facilè credi poſſit, *Libicum* ſiuè *Africanum* ingenium in illis adhùc quàm valentèr operari. Quarè, ne altiùs repetere videar quæ initio conſtituta ſunt: *Phœnices* primùm qui à *Babylone* progreſſi ad mare rubrum, indè ad *Ægyptum*, *Æthiopiam*, *Syriam*, *Græciam* & *Hiſpaniam* peruenerunt: poſteà in *Albionem* quæ modò *Britannia* dicitur (ſi quid ego rectè conijcio) penetrârunt. Hoc verò cognomen à regione vndè poſtremò profecti ſunt, contraxerunt: ità vt nùnc *Heſperi*, modò *Ægyptij*, nonnunquàm *Phœnices*, interdùm *Babylonij*, præcipuè verò *Æthiopes* ab inducto colore vocarentur. Atque illud eſt nimirùm, quod

Plinius naturalis hiſtoriæ libro viceſimo ſecun-
,, do ſubindicare voluit, ità ſcribendo. Similo
,, (inquit) plantagini glaſtum in *Gallia* vocatur:
,, quo *Britannorum* coniuges nurúſque toto cor-
,, pore oblitæ, quibuſdam in ſacris nudæ ince-
,, dunt, *Æthiopum* colorem imitantes: atq; hac-
,, tenùs *Plinius*. Quid verò ſibi vult illa vxorum
communitàs, & muliêrum neglectus pudor
qualis apùd *Babylonios*, non modò in proſtibu-
lis, verùm etiàm in nobiliſſimis matronis, vul-
gati corporis vilitatem comitatem eſſe arbi-
trantibus? Quid aliud, inquam, illa deſignat,
quàm certè quidèm originis vim, atque auito-
rum morum recordationem memoriæ prodi-
tam, quaſique pèr manus traditam? de quibus
libro quinto lectionum antiquarum plura *Cœ-
lius Rodiginus*. Porrò, Magica quoque olim in
Britannia tàm celebris, quid quæſo à vobis ſig-
nificare poterit, de qua libro triceſimo ità idem
,, *Plinius*? Quid ipſe ego hanc memorem artem
,, (de Magica loquens) *Oceanum* quoque tranſ-
,, greſſam, & ad naturæ inane prouectam in *Bri-
,, tanniam*, quæ hodiè eam attonitè celebrat tan-
,, tis ceremonijs, vt dediſſe *Perſis* videri poſſit.
,, Adeò toto mundo conſenſêre, quanquàm diſ-
,, cordi & ſibi ignoto: hæc *Plinius*. *Iulius* quoque
Cæſar, diſciplinam in *Britannia* repertam, atque
indè in *Galliam* tranſlatam exiſtimari prodidit.
Hanc dubiò procùl *Phœnices* primi negotiato-
res atque exploratores, ſecùm in *Britanniam* ex

Zoroaſtri

Zoroaſtri traditione importârunt, vt eam perpetuò docerent .

Natos natorum, & qui naſcerentur ab illis.

Antè omnes verò qui Magícam artem coluerunt, qui *Monam* inſulam hodiè *Angliſeiam* dictam tenuerunt, celebrabantur. Siquidèm, mihi liquet duas fuiſſe præcipuas *Monas* inſulas in *Britannia:* illam quam modò attigi, atque alteram *Menapiam, Monam* remotiorem, vulgari nomine *Manniam*, & vtramque à *Græco* Μόνη ſumpſiſſe appellationem. Etenim ſic dictas arbitror, aùt quòd ſolæ & ſolitariæ fuerint, aùt quòd in eis degentes vitam monaſticam profitentes, pietati, precibus, literarum ſcientiarúmque ſtudijs vacarent. Nèc quibuſlibet ad eas proficiſcendi facultas erat conceſſa, niſi eidem vitæ generi, iiſdémque ſtudijs deſtinatis. In his ſed priori inprimis erat ſedes & quaſi ſchola huius portentoſæ artis, adeò vt qui eam diligentiùs noſcere voluerunt, non tàm ex reliqua *Britannia*, quàm etiàm ex *Gallia* illùc diſcendi gratia proficiſcebantur. Magnum ibi verſuum «
numerum memoritèr ediſcere dicebantur. Ita- «
que annos nonnulli vicenos in diſciplina per- «
manſerunt: neque fas eſſe exiſtimauerunt ea «
literis mandare. & deinceps quæ ſequuntur «
apùd *Cæſarem* de bello *Gallico:* quæ omnia non modò legiſſe, verumetiàm diligentèr perpendiſſe, plurimùm antiquitatis ſtudioſorum intererit. Tùm *Wottonus*, certè mihi ille locus pe-

nitiùs introſpiciendus eſt, Abbas, ídque hortatu tuo. Sed video in *Cæſare*, idem ferè ab ijſdem *Druidibus* tradi atque obſeruari, quod in noſtris Canonicis traditionibus de Interdictis nè ſacris interſint habetur, qui impiorum ac ſceleratorum numero aſcribuntur, à quibus omnes decedunt, aditum eorum ſermonémq; defugiunt, nè quid ex contagione incommodi accipiant, neque ijs ius redditur petentibus, neque honos vllus communicatur. Multa quoque ſequuntur in eodem orationis tranſcurſu auditu iucundiſſima, in quibus prætereà *Romani* Pontificis electionem quàm graphicè depictam licèt intueri. Atquî hîc Abbas, rectè tu quidèm inquit, *Wottone*, ídque in arena tua, in qua non audeo dicere an quiſquam laudabiliùs deſudauerit. Cęterùm de Dijs eorum, de quibus tu modò, quid ſentiendum arbitraris, apùd quos *Mercurius* princeps perhibetur, omnium artium ac diſciplinarum inuentor? Hunc viarum atque itinerum ducem: hunc ad pecuniarum quæſtus, mercaturáſq; habere facultatem maximam arbitrantur. : quæ ſanè ſtulta opinio, ex Oriente & *Ægypto* vbi *Mercurius* inprimis prò Deo colebatur, profecta eſt. Alia quoque multa his ſimilia notatu digniſſima referuntur, eáque ſanè omnia, nèc *Troianos* nèc *Italos* hùc traieciſſe arguunt, ſed potiùs *Babylonios*, quos dixi paulò antè, vèl *Phœnices*, vèl *Æthiopes*, vèl *Iberos* appellari, à locis illis videlicèt

licèt vndè poſtremò profecti ſunt. At tùm *Wottonus*, memini, inquit *Vochi*, quemadmodùm hęc anteà abs te concluſa ſunt, cùm de ijſdem diſputares. Sed cùm non ità longo abhinc tempore de mulieribus *Babylonijs* earúmque moribus ageres, venit illud certè mihi in mentem de *Argetecoxi Calidonij* reguli vxore, vt eſt apùd *Xiphilinum* ex *Dione* ſumptum in *Seueri* vita. Quæ cùm morderetur à *Iulia Augusta*, quòd ipſæ ſcilicèt mulieres *Britannæ* impudentes, impudicè cùm maribus verſarentur: Imò « ſanè nos, inquit, multò meliùs ea quæ naturæ « poſtulat neceſſitas explemus quàm vos *Romanæ* « fœminæ, cùm apertè cùm optimis viris habea- « mus conſuetudinem: vos autèm occultè peſſi- « mi homines conſtuprent. «

Quæ cùm ex *Dione Xiphilinus* de mulieris *Britannæ* reſponſione, apparet certè eas ad id vſq; tempus *Babylonicarum* mores atque ingenium à prima origine retinuiſſe. Nàm quòd ad *Troianas* ac *Romanas* pertinet, nunquàm ità factitaſſe vèl dixiſſe legimus, aùt vllę, quòd ſciam, produnt hiſtoriæ. Tùm verò *Digonius*, hanc certè communionem, venerande pater, inquit, de qua diſputas, profectò credibile eſt *Platonem* in *Græciam* adducere voluiſſe, eáque ſuam ornaſſe Rempublicam. Ille nàmque, vt ſcribit *Valerius Maximus*, quo tempore à ſtudioſis iuuenibus certatim *Athenæ Platonem* doctorem quęrentibus petebantur, *Nili* fluminis inexplicabiles

ripas, vaſtiſſimóſque campos, effuſam barbariem, & flexuoſos foſſarum ambitus *Ægyptiorum* ſenum diſcipulus luſtrabat. Ex qua ſanè peregrinatione, didiciſſe eum *Babyloniorum* ritus & inſtituta putandum eſt, quæ in *Britannia* tempore *Cæſaris* ac aliquandiù quoq; poſteà, vt à *Phœnicibus* introducta viguere, præcipuè verò glaſti infectione colorem *Æthiopicum* imitando. Tùm *Wottonus*, poteſt ſanè videri, inquit, ità eſſe vt dicis, *Digoni*, de *Platone*. Sed de *Britannis*, mirum ſanè eſt quòd vxores deni ac duodeni inter ſe communes habuerint, maximè verò fratres cùm fratribus, & parentes cùm liberis. Quę res, cùm hodiè piaculum execrandum haberetur, nimium profectò tùnc oſtendebat primæuos humani generis mores ac promiſcuam conſuetudinem, iàm indè ab ipſius *Nemrothi* tempore & ſchola propagatam, qui igitùr venator ſtrenuus coràm Domino, id eſt, ni fallor, *Dauus* inſignis interturbans & confundens omnia, dicitur: non contentus videlicèt maiorum ſuorum recto more ac tramite viuere. Ex quo, & quæ ſequuta eum eſt confuſione, gentes cœperunt ſpargi & diſſeminari pèr orbis terrarum continentem & inſulas. *Strabo* inſupèr auctor eſt, fuiſſe qui dicerent *Mauros* olim *Indos* fuiſſe, atque ex *India* cùm *Hercule* in eum locum deſcendiſſe: vndè etiàm credibile eſt, vnà cùm eo in *Albionis* terram penetraſſe *Mauros*, qui conſimilitèr antè cur-

rubus

rubus in bello vt poſteà *Britanni* eſſedis non à *Troianis* ducta conſuetudine, vſi perhibentur, à quibus quoq; colorem illum cæruleum, ſi non durante natiuo colore, in alieno ſolo ac ſub diuerſo cœlo, ſaltèm arte gentis originem ſimulanti in aliquot ſæcula deduxerunt. Liber quoque ille qui dicitur, Pater, an non ingentem fœminarum in exercitu turbam ſecum traxit, magis proptèr furorem quàm virtutem, referente *Euſebio* ? à quibus phanaticus ille geſtus, clamor, & eiulatio de qua *Tacitus* in decimo tertio libro à fœminis *Britannis* in *Mona* inſula *Suetonio Paulino* eam ingrediente facta, recitata videri poteſt, & quaſi per manus tradita : ità enim ſcribit. Stabat prò littore diuerſa acies, « denſa armis viríſque, intercurſantibus fœminis « in modum furiarum veſte ferali, crinibus deiec- « tis faces pręferebant: Druidéſque preces diras, « ſublatis ad cœlum manibus fundentes : noui- « tate aſpectus perculêre militem, vt quaſi hæ- « rentibus membris immobile corpus vulneri- « bus præberent. Dein exhortationibus ducis, « & ſe ipſi ſtimulantes, nè muliêbre & phanati- « cum agmen paueſcerent, inferunt ſigna, ſter- « núntque obuios, & igni ſuo inuoluunt. Præſi- « dium poſthæc impoſitum vicis (ſeu victis,) ex- « ciſi ſunt luci ſæuis ſuperſtitionibus ſacri, nàm « cruore captiuo adolere aras, & hominum fibris « conſulere deos fas habebant. Hæc *Tacitus*. An « non hìc *Dionyſij Bacchas* audire videmur, quan-

quàm non thyrſos, ſed faces præferentes? Iſta quidèm erant expreſſa antiquitatis ſimulacra, & miram *Bacchi* referebant inſaniam. Cæterùm picti *Agathyrſi* hoc loco nobis prætereundi non ſunt, gens *Scythica*; quæ olim in *Britanniam* intraſſe, colorémque illum cæruleum, atq; artificium depingendi corpora induxiſſe, à nonnullis exiſtimatur. Hæc ea gens eſt certè quidèm, ni fallor, qui modò *Picti* ac *Scoti* dicuntur, in duo diuiſa non nationes ſed nomina, alterum Latinum, alterum ſcilicèt *Scythicum* vèl *Germanicum*: Talium autèm poëta *Vergilius* quarto *Æneidos* meminit, vbi canit:

Inſtauràtque choros: miſtíq; altaria circùm
Cretéſque Dryópéſq; fremunt, pictiq; Agathyrſi.

» Vbi *Seruius*, *Picti*, inquit, non ſtigmata haben-
» tes, ſed pulchri, hoc eſt, cyanea coma placentes,
» quod idem eſt cùm cærulea, vt ego interpretor.
» Idem prætereà ex *Pomponio* refert; *Agathyrſos*
» ora artúſque pingere adeò vt ablui nequeant,
» ac quantò quiſquam excellentior eſt, tantò
» magis depingi. Hæc *Seruius* Honoratus, diligentiſſimus antiquitatis indagator. Quibus adductus, facilè equidèm crediderim, hanc depingendi corpora conſuetudinem, partim ab *Agathyrſis* quóq; qui *Scoti* & *Picti* ſunt, fluxiſſe, & in reliquos *Britannos* dimanaſſe. Quæ cùm dixiſſet *Wottonus*: rectè tu quidèm inquit Abbas, & vt ſe res habet opinatus es. Sed videte quæſo temporum diſcrimina. *Scoti* enim, &

Picti ſiuè *Pictones*, noua gens eſt in *Britannia*, nullo modo cùm antiquis illis *Britannis*, qui bella tàm virilitèr cùm *Romanis* geſſerunt, conferenda. Quanquàm *Hector Boëtius*, atque ipſe quidèm natione *Scotus*, ſibi multùm placeat, fallátque eo lectorem plurimùm dùm ea *Scotis* tribuit quæ ſunt *Britannorum* facta fortiſſima. *Caractaci* enim animoſitatem atque prælia *Scotorum* gloriæ aſcribit, cùm eo tempore nomen *Scoticum* nè auditum quidèm in *Britannia* fuerat. Sed tàm in hoc, quàm in quibuſdam alijs, vanè admodùm *Scotorum* laudes venatur. *Scoti* etenim atque *Picti*, circà annum *Christi* ex ſempèr virgine *Maria* nati quatercenteſimum viceſimum, primùm *Britanniam* incurſionibus vaſtare cœperunt. Hij poſteà fuſi fugatíque, pedem in *Hyberniam* retulerunt; ibique morati vſque ad annum quatercenteſimum quadrageſimum quartum, viginti quatuor annos ab infeſtatione huius inſulæ quieuêre : indéq; redeuntes in *Britanniam*, eam inſulæ partem occupauêrunt quam hodiè poſſident, & ab ipſis *Scotia* dicitur. Hîc ego nihil moror *Scotam* reginam, quæ vt habetur in fabulis, eorum terræ nomen aliquandò impoſuiſſe perhibetur. Sanè, gens immanis, barbara & verè *Scythica* ſempèr æſtimata eſt, vèl ipſo diuo *Hieronymo* teſte, qui ad hunc modum de illis ſcribit. Quid loquar " de cæteris nationibus, cùm ipſe adoleſcentulus " in *Gallia*, viderim *Scotos* gentem *Britannicam*, hu- "

„ manis veſci carnibus? & cùm pèr ſyluas por-
„ corum greges & armentorum pecudúmq; re-
„ periant, paſtorum nates & fœminarum papil-
„ las ſolere abſcindere, & has ſolas ciborum de-
„ licias arbitrari. *Scotorum* natio vxores proprias
„ non habet: & quaſi *Platonis* politiam, & *Cato-
„ nis* ſectetur exemplum, nulla apùd eos coniunx
„ propria eſt, ſed vt cuique libitum fuerit, pecu-
„ dum more laſciuiunt. Hactenùs ille. Sed de *Scotis* vt erant ſuo tempore, ſcripſit *Hieronymus.* Quæ gens ſanè, nùnc antè vnam vèl alteram ætatem ſepoſita barbarie, humaniora ſtudia atque cultus diuinos inſequuta, nobis verò fœdere ſępius atq; non nunc primum, quanquam in præſenti ſereniſſimi regis noſtri clariſſimæ ſororis *Margaretæ* connubijs coniuncta eſt, vt non niſi honorificè de ea tanquàm amicis & conſanguineis cogitandum: calcantibus etiàm, quod non minimum eſt, eandem nobiſcum inſulæ *Britannicæ* continentem. Tum *Wottonus,* perge tamèn quæſo, inquit, doctiſſime Abbas, reliqua quóque quæ ſequuntur perſequi: faciunt námque quàm apertiſſimè ad id quod modò aſtruere contendimus, videlicèt vxorum communitatem ab orientalibus fluxiſſe nationibus. At tùm *Vochius,* faciam equidèm *Wottone* mi inquit, quantum præſens negotium poſtulat.
„ *Perſæ* itaque, inquit *Hieronymus, Medi, Indi,*
„ & *Æthiopes,* regna nòn modica, & *Romano* im-
„ perio paria, cùm matribus & auijs, cùm fi-

liabus

liabus & neptis copulantur. Hæc *Hieronymus.* «
Hinc itaque, cùm fœminarum communiones, corporum quoque cæruleo colore depingendorum conſuetudinem, à *Phœnicibus* qui harum gentium nominibus veniunt appellandi, profectam arbitrarer, longéque antè *Troiæ* euerſionem in *Britanniam* aduectam: eoque credibilius hoc eſſe reor, quòd quantum memoria teneo, de *Troianis* aùt *Italicis* fœminis nihil conſimile ab antiquitate proditum legerim. Sed lamentiſne an cachinnis potiùs accipiendum ſit neſcio, quòd *Cambri* amici atque conterranei noſtri, quos iniquiſſimè atque adulterino, vt inquit *Gyraldus*, vocabulo, *Wallos*, id eſt, peregrinos atque aduenas & eorum regionem *Walliam* vocamus, cùm nos reuerà in eorum terra *Walli* ſimus, *Troianos* ſe aùt *Troiano* ſanguine oriundos tantoperè geſtiant. Antiquiſſimam ſanè atque nobiliſſimam gentem, equidem ſępiſſimè dolui in ſeipſum tàm iniurioſam extitiſſe: vt cùm longè antè *Troiæ* ruinam hanc ſuam *Britanniam* poſſederit, velit tamèn proptèr adumbratam *Troiani* nominis dignitatem, quæ nulla eſt, ſuæ ſolidæ antiquitatis, quæ vera eſt, exiſtimationem amittere. Verùm, *Iarchæ Indi* vocem apùd *Philoſtratum Lemnium*, velim expendant.
Troia, inquit, ab ijs qui eò nauigauerunt *Achæis* «
deleta eſt: vos autèm qui de ipſa vulgati ſunt «
ſermones, perdedere. Solos enim viros fuiſſe «
arbitrantes qui ad *Troiam* militauerunt, multò «
plures,

,, plures, ac diuiniores homines negligitis, quos
,, aût veſtra terra, aût *Ægyptus*, aût hæc ipſa *India*
,, protulit. *Hactenus Philoſtratus.* Sed vetus error occupauit animos multorum, ac faſcinauit ſpecie antiquitatis quadam ſuæ, atque itá faſcinauit, vt quod verum eſt deinceps certè nolint cernere. Dein, quod volumus facilè credimus, in eos recidit tritum multorum ſermone prouerbium: qûi cùm illud ament quod afferunt, ſi ipſi ſibi confingant ſomnia minimè mirandum. Quòd certè quidèm cùr tàm obnixè facerent, cauſam nullam video. Quid, putandumne *Albionem*, aùt ſi malint *Britanniam*, ad *Troiana* vſque tempora, ad decantatum illud incendium & *Troianorum* diſperſum, vacuam ab humano genere atque incultam permanſiſſe? ſcilicèt à diluuio quod *Troiæ* captiuitatem mille triginta atque aliquot ampliùs annos præceſſit, ad *Bruti* illius parricidæ *Italici* ætatem atque aduentum in *Britanniam*? Præſertim, cùm quæ *Albion* tùnc temporis dicta eſt, nùnc verò *Britannia* à dirupto iſthmo dicitur, tàm vicina continenti fuerit, tàm propè à *Gallia* abfuerit, vt altera ab altera clarè conſpici potuerit. Prætereà, cùm in orbe terrarum tot nobiles reges vixerunt, tot exercituũ imperatores clauerint, tot reſpublicæ præclarè adminiſtratæ, tot bella inſignia geſta, tot celebratæ nauigationes fuerint, tot mutationes regnorum, tot gentium migrationes, tot vrbium expugnationes, tot imperiorum

imperiorum viciſſitudines contigerint: vt homines vixiſſe antè *Troiana* tempora credendum ſit, aùt certè hodiè nullos viuere. Etenìm, vt verè retulit pôeta,

Vixerunt fortes antè Agamemnona

Multi, &c.

Namque, quid attinet quingentis octoginta ampliùs annis antè fundatum *Troianorum* regnum, quod initium quidèm ſumpſit à *Dardano*, quem vltimo *Aſcatidis* anno *Ato* donauit parte agri *Meonici*, atque ita *Troianorum* regnum natum: quid inquam attinet commemorare, quemadmodùm *Belus* ſecundus *Aſſyriorum* rex, cùm ipſe parùm in eo negotio profeciſſet, iuſſerit ſe mortuo *Ninum* filium, *Sabatium Sagarum* regem (qui vt *Annius* ſuper *Beroſum* ſcribit, fuit *Saturnus* ille à quo *Italia Saturnia* dicta eſt) interimere, & omnem populum *Babylonico* imperio ſubijcere, quòd id omnium in orbe primum fuiſſet, itaque *Sabatium* tandèm armis regno pulſum: niſi vt intelligatur tùnc homines vixiſſe? Certè, virgo *Pallas*, illa quidem iniqua *Troianis*, nata, & ad *Tritonidem* lacum expoſita, à *Dyoniſio Ioue Libyco Ammonis* filio in filiam adoptata eſt: quæ poſteà omnem militiam *Libes* prima docuit, & literarum altrices *Athenas* condidit. Veſta quoque *Iani* vxor, in *Italia* ignem perpetuò flagrantem virginibus puellis cuſtodiendum tradidit, & veſtalium ſacra edocuit, quo tempore *Semiramis* quarta *Aſſyrijs*

iura

iura dedit,& adhùc pater *Noah* fuit inter viuos: hæc quingẽtis viginti tribus,illa verò quingentis triginta tribus annis antè inſtitutum regnum *Troianorum.* Quo ſanè non dùm fundato, *Cameſenus* qui etiam *Zoroaſtes* dictus eſt, cùm numeroſo exercitu *Aſſyrios* inuadens, à *Ninia Nini Babyloniæ* regis filio ſuperatus & occiſus eſt. *Hyarbas* quoque *Libyæ* rex ferox armis,ferocior animis,à fœminis *Palladijs* bello ſuperatus, iiſdem ſe humilitèr ſubmittens, pacem impetrauit. Nec minùs *Balcus* octauus *Aſſyriorum* rex, qui proptèr victorias & triumphos *Xerxes* appellatus eſt, regnum ſuum vſque ad *Indos* propagauit. Quo regnante,*Iſaacho* patri *Eſauus* & *Iacobus* filij nati : circà quod tempus, *Inachus* primus regnum apùd *Argos* adminiſtrauit. Quinetiàm *Oſiris*, *Ægyptijs Serapis* dictus,*Lycurgum* immanem gygantem peremit in *Thracia:* & *Leſtrigo* ipſe quidèm in gygantum numero habitus *Oſiridis* ex *Neptuno* filio nepos,*Italiæ* imperauit, ex quo vt quidam volunt, *Albion*,à quo primum nomen noſtrę inſulæ inditum, ducentis nimirùm ſexaginta tribus annis antè natalis regni *Troiani :* quo tempore regni ſanctus vir *Iobus* à *Philone* vixiſſe, & iuſtitia floruiſſe perhibetur. Poſteà verò *Hercules* ille *Libycus*,decem cõtinuis annis contrà gygantes bellũ geſſerat, plurima monſtra domuerat, multos labores terra maríque exantlauerat, de quibus ità ſummatim apùd *Ouidiũ Deianira:*

Se

Se tibi pax terræ, tibi ſe cuncta æquora debent,
Impleſti meritis ſolis vtramque domum.

Pòſt quem centum viginti annis natus eſt *Moſes*, qui ingentem *Iſraeliticum* exercitum quadraginta annorum ſpacio, bellico apparatu inſtructum duxit pèr deſertum : qui certè non pluribus duodecim annis poſtquàm *Dardanus Troiani* regni fundamenta ieciſſet, vt paulò antè annotatum eſt, vitam cùm morte commutauit. Ad eum itaque modum quem diximus, à *Dardano* inſtitutum *Troianorum* regnum, quod ad eiuſdem excidium tercentum non ampliùs annis perdurauit. Quo florente, *Liber* Pater, qui etiàm *Bacchus* dicitur, victorijs ab *Indis* atque etiàm aliundè reportatis, claruit, qui etiàm hanc noſtram inſulam vnà cùm *Hercule* inuiſens, eandem ad arma prouocauit, & ab incolis fugatus eſt, vt anteà annotauimus : dùm *Debora* & *Barac* iudicarent *Iſraelem*. Sic rurſùs pòſt conditum *Troianum* regnum, ſed diù antè eiùs ruinam, vir fortiſſimus *Perſeus*, aduerſùs *Perſas* dimicando, *Gorgonis* meretricis caput obtruncauerat, quæ incredibili pulchritudine ſua homines in ſtuporem conuertere dicebatur, vſq; adeò vt in lapides transformarentur. Quid verò antè *Troiæ* deſtructionem, celeberrimam inſtitutam *Argonautarum* nauigationem referam, in qua tot clariſſimi viri militarunt, qui hiſtorijs & fabulis celebrantur, quos etiàm *Britanniam* adijſſe in decantato illo errore ſuo, creditur.

tur à nonnullis? Quid atrociſſimum intèr *Cretenſes* & *Athenienſes* bellum, in quo deuicti *Athenienſes*, nobilium ſuorum filios quotannis *Minotauro* deuorandos mittebant, donèc, vt ſcribit *Oroſius*, monſtrum illud à *Theſeo Ariadnes* auſpicijs vinceretur? Quinimò alter *Hercules*, non ille quidèm monſtrorum domitor, ſed *Alcides*, antè *Troiæ* euerſionem agonem *Olympicum* inſtituerat, *Cacum* in *Italia* prædonem occiderat, interempto *Laomendonte* eius filium *Priamum Troianorum* regem fecerat. Addite etiàm, quòd *Troia* ſùb *Tautane* viceſimo octauo quidèm *Aſſyriorum* rege, cui *Priamus* vectigalis erat; & à quo auxilium ad eius ſubſidium miſſum eſt, conflagratione ceciderit: occiſo ibi nigro *Memnone* eius militiæ principe, cùm nonnullis *Amazonibus*, quæ vt *Priamo* ferrent ſuppetias, illùc armatæ confluxerant. *Iephtha* quoque *Iudæorum* dux, *Ammonitas* hoſtes deuicerat, à *Moſe* ad ſe annos ſupputans tercentum: *Theſeus* prior *Helenam* rapuerat, vndè bis rapta dicebatur: *Amazones Thebas* debellarant: aliáq; permulta pèr orbem terrarum decantatiſſima, commiſſa ſunt, non ſolùm antè *Troiæ* fatalem exitum, verùm diù antè *Bruti* noſtri excogitati confictam natiuitatem: & putabimus *Britanniam* intereà cultoribus vacuam ſqualuiſſe? Minimè ſanè, inquit *Wottonus*: namque ad illud vſque tempus fama eſt, gygantes cyclopéſque illos, videlicèt ex *Diocleſiani* filiabus natos, atq;

ex incubis dęmonibus conceptos, hanc terram longo tempore tenuiſſe, ſcilicèt ad *Bruti Italici* appulſum: à quo, ſi dijs placet, atque eius comitibus extincti ſunt. Tùm *Vochius*, ridenda hæc potiùs mehercule, inquit, quàm refellenda ſuauiſſime *Wottone*, iudicauerim. Quòd ſi de *Danai* filiabus commentum retuliſſent, fortaſſè profectò viſum fuiſſet tollerabilius. Ac cùm de *Danao* loquor, illum ſubaudiendum cenſeo, qui *Ægypti* ſiuè *Ægyſthi* frater erat, quorum hic filios quinquaginta, ille filias totidem habuit, à quibus omnes patruèles, excepto *Lincæo*, vna nocte ſublati ſunt. Sed vtraque fabula iuxtà vana certè eſt, atque à veritatis ſtudioſis explodenda, de quibus tamèn in genere ità diuus *Euſebius*: Neque verò, inquit, multitudo filiorum incredibilis videri debet in Barbaris, cùm tàm innumerabiles habeant concubinas: vbi notandum venit, corruptam hanc conſuetudinem neque in *Græcis* neque *Romanis*, quorum relatione cæteræ nationes omnes barbaræ appellantur, à ſcriptoribus obſeruari. Sed vt ad propoſitum negotium reuertamur, *Ebranchus* regulus in *Britannia*, à quo *Eboracum* ciuitatem nomen traxiſſe nonnullis placet, filios ac filias numero penè infinitas genuiſſe memoratur, fœmellas verò omnes in *Italiam* miſſas, nobilibus *Troianis* nuptum tradidiſſe. Deus bone, quæ vnquàm narratio audita eſt quæ riſu acciperetur dignior, ab ijs præſertìm qui in vete-

rum hiſtoricorum monumentis deſudarunt? Nèc minus inſulſum eſt illud, quod de filijs eiuſdem *Ebranchi* in *Germaniam* regnum adeptis duce *Aſſaraco*, ſed auxilio *Siluij Albani* adiutis, ab ijſdem ſcribitur auctoribus, qui aquilæ ſermones apùd montem *Paladurum* loquentis memoriæ tradere proptèr vanitatis inauditæ notam, veriti ſunt. Quod mihi ſanè tantò admirabilius videri ſolet, quantò ipſi peræquè vana veróque pugnantia literis mandare non dubitauerint. Tale certè eſt *Caſaris* de ſua cùm *Britannis* cognatione vox, de *Claudij* in *Britannia* mora, de nuptijs intèr *Claudij* filiam quam *Genniſſam* appellatam confingunt, atque *Aruiragum* celebratis: cùm ſexcentum alijs impudentèr conſcriptis mendacijs. Sed ad inſtitutum noſtrum hæc quidèm parùm, ad intermiſſa itaque redeamus. *Albionem* igitùr atque eius iſthmum quo *Gallia* iuncta fuit, poſteà maris fluctibus exeſum, paulò altiùs conſyderemus. Vndè quæſo olim in hac terra *Albionica*, tot vrſi immanes, tot lupi carniuori ſæuiendo errauerint, vt non modò ab ijs pecori vago, ſed etiam viatori periculum immineret? Hîc, tùm cùm paululùm quæſtioni inſiſteret *Vochius*: ſi mihi liceat, reuerende Pater, inquit *Digonius*, ſermonem tuum interpellare, atque tranſcurſum abrumpere, vrſos ſylueſtres olim fuiſſe in *Britannia* non memini ab aliquo ſcriptore annotatum, ſed lupos frequentiſſimè, quorum tamèn

mèn genus regali cura atque prouidentis *Edgari* optimi regis, poſteà prorſùs deletum eſt. At Abbas, eſt reuerà vt dicis *Digoni*, hæc recepta triuialium hiſtoricorum opinio, à qua tamèn te, *Wottonúmque* noſtrum prò ſumma cognitione veſtra, longiſſimè abeſſe cupio. Quemadmodùm verò illud *Valerij Martialis* carmen

Nuda Calidonio ſic pectora præbuit vrſo,

velint intelligere, ſi non de vrſis *Britannicis*, à quorum aliquo dilaneatum olim laureolum diſertè prodit Poëta, aueo diſcere. *Perottus* enim *Sipontinus* Epiſcopus doctiſſimus, in hæc *Martialis* verba ſcribens, *Britannos* ait, quod neminem latere arbitror, *Calidonios* vſurpatos, quòd non ſolùm *Calidonius* in præſente verſu, verùm illud etiàm ab eodem Poëta alibi ſcriptum teſtatur,

Quinte, Calidonios Ouidi, viſure Britannos.

Calidonios videlicèt *Britannos*, à *Calidonia Britannia* ſylua dictos, quæ hodiè, vt *Renulphus Ceſtrenſis* auctor eſt, *Gaetros* dicitur, iuxtà vrbem *Alcliud* & *Reenoc*, & è *Germania* in *Britanniam* tranſfretantibus, totius inſulæ partium prima apparere ſoleat: è qua, vt idem *Perottus* refert, ingentes ac ſæui vrſi *Romam* in ſpectacula mittebantur. Quod autèm prò *Ætolico* agro intelligimus, *Calidonis* deducitur adiunctum, ità canente *Ouidio:*

Tradidit Aonius pauidam Calidonida Neſſo.

Tantum verò abeſt vt iſtæ voces ad idem ſigni-

ficandum inſtituantur, vt ſi Proſodiam conſulamus, plurimùm differant: cùm *Calidonia Britannica* ſecundam ſyllabam habeat longam, *Ætolica* verò ſecundam correptam, longam autèm tertiam. Ac cùm *Britannia, Seruio* in *Georgicorum* primum, lucis diues dicatur: non eſſet iniquum conſimiles ferarum ſpecies in multis vèl omnibus exquirere, quæ non multo labore, nèc longo itinere in illas è *Calidonia* ſylua proficiſci, vèl vt in *Calidonia* gigni pòſt primum ingreſſum, potuerunt. Celebratur in *Northumbrorum* regni altera parte quæ *Deira* dicitur, *Deiorum* ſylua denſa frondibus atque olim feris plena: in qua doctus & pius vir, *Ioannes Eboracenſis* Archiepiſcopus, dignitate poſthabita cœnobium ſibi atque ſuorum paucis exædificauit, atque exìn *Ioannes* de *Beuerlaco* dictus eſt, fortaſſis à lacu aliquo adiuncto, aùt *Hullo* flumine præterlabente, & caſtorum animalium frequentia, ſiquidem ſigillo communi eiuſdem cœnobij, caſtoris ſimulacrum inſculpebatur. Citrà hanc eſt ea in agro *Nottinghamenſi*, quæ ab arborum proceritate, & infrequentia veprium, *Limpida* ſylua noto ſatis nomine dicitur: ſaltus olim ferarum luſtris notabilis. Quid referam *Argludam Dobunorum*, nemus aſperum & arboribus conſitiſſimum, quod an ſit *Danica* ſylua, *Danorum* aliquandò caſtrametatione & cæde clara, non temerè affirmauerim: certè luporum atque aprorum latebris,

atque

atque vtrorúmq; conſectationibus celebrem? Quid item *Buckingwaldam* apùd nos à *Tunbridga* oppido non longè diſiunctam, cui ſyluæ à fagis arboribus, fortaſſis à damis nomen impoſitum eſt, quæ nunc ibi nullæ ſunt, ſed quòd aliquandò fuerint, deprehenſi & ſupplicio affecti venatores *Edwardi* regis ſecundi temporibus, ex libro *Roffenſi* qui in manibus eſt, conuincitur. Quid ſyluam *Anderidam Cantio* cùm *Suſſexia* communem, denſiſſimis arboribus ac continuis opacam, nèc vllis antiquitùs memorabilibus ædificijs diſtinctam, prȩterquàm *Anderidæ* ciuitatis vndè ſyluæ nomen, *Ælla Southſaxonum* regis furore euerſæ, magnam ſanè quidèm, vix tamèn longitùdine ac latitudine tantam, quantam *Huntingdunenſis* retulerit. In qua *Sigibertus* Occidentalium *Saxonum* rex, ſuperbia & tyrannide infamis: quòd *Cumbram* virum nobilem ac ſibi à conſilijs, maturè ac prudentèr conſulentem occidiſſet, poſteaquàm regno pulſus latibulum in hac ſylua quæſiuiſſet, ab eiuſdem *Cumbræ* ſubulco interfectus eſt. Quid ſyluam *Blenam Cantuariæ* vicinam, magnitudinis non contemnendæ, ſi quæ alia ſenta atque frondoſa: cuius hodiè pars benè magna in agros ac paſcua complanatur, in qua patrum noſtrorum memoria apri venatione conficiebantur, vt non ineptam ſanè ad vrſos quoque gignendos, quæ modò vulpium ac taxorum luſtra opacat, arbitremini. De quibus, cùm

nonnullis locis alijs ſed his præcipuè proximis enumeratis ſyluis, Eccleſiæ Chriſti *Cantuariæ* regali olim munificentia conceſſis, quoniàm ad manum eſt donationum liber, ipſum quæſo
„ audiamus. Anno Domini, inquit, ſeptingen-
„ teſimo nonageſimo primo. *Offa* rex dedit ec-
„ cleſiæ Chriſti *Doroberniæ Otteford* & terram
„ quindecim aratrorum in prouincia *Cantuarienſi*
„ nomine *Ickam, Perhamſtede, Rokign*, & *Andred*
„ ad paſcua porcorum, *Dunmalling; Sandeherſt,*
„ *Snuttelnundem*, & in ſyluis quæ dicuntur *Buck-*
„ *holt*, & *Bleu haubric*, & aliud intèr torrentem
„ nomine *Eortburnam*, & *Aghuc, Orgariſwike, Tri-*
„ *on*, & paſcua vnius gregis iuxtà *Tenendem*, &
„ quinquaginta porcorum *Bynneon* & *Smede*.
Hactenùs donationum liber. Taceo ſyluam *Nemæam* in *Cornubia* amplam & feris abundantem, in qua pium virum *Rumonum* ſibi cellulam oratoriam extruxiſſe vbi valedictis mundi vanitatibus Deo vacaret, auctor eſt *Capgrauius*. Equidèm in his, nèc non alijs Britanniæ lucis, multis retroactis ſæculis & *Ogygia* antiquitate, intèr alia ferarum genera vrſos quóque victitaſſe atque genitos, accolarum induſtria paulatim ſublatos, perſuaſiſſimum habeo: cùm de lupis, quos *Edgari* regis prouidentia ſuſtulit & adhùc nimia copia alit *Hybernia*, & de apris quorum ipſe vidi aliquos venatione in cibum captos, verius eſſe puto, quàm vt quiſquam negare audeat. Nèc multum contrà nos facit,

quòd

quòd *Panagyricus Conſtantino* dictus, in *Britannia* dulciſſima noſtra quidèm patria, cui omnes omnium laudationes impares eſſe arbitror, nemora ſinè immanibus beſtijs, terras ſine ſerpentibus noxijs, nèc quòd *Mancinellus* in *Virgilij Bucolica*, in *Britannia* nullum anguem, auem raram eſſe dixerit: cùm illa exuberante quadam oratoria facultate, hæc ex terræ noſtrę ignoratione relata certum ſit, nèc minùs feris olim quàm nùnc natrice, angue, vipera, cæcilia, rubeta, lacerta, aranea, mure araneo, ac bupreſti cùm alijs nonnullis venenatis animantibus careat, quæ vtinàm hodiè in multis *Britanniæ* locis incolarum cùm malo non agnoſcerentur, quæ prò huiuſmodi & agnoſci & metui, teſtis mihi eſt & indocta ruſticorum turba, & prudens naturę ſpeculatorum cætus, quem id nèc poterit nèc debebit latere. Conſtare itaq; ex his ſatis clarè poteſt, vt opinor, non minùs quàm lupos, vrſos quóque fuiſſe in *Britannia*, licet minori copia. Quod mihi non leue argumentum aduerſum eos qui iſthmum olim fuiſſe inter *Britanniam Galliamque*, vèl negauerint, vèl dubitauerint, ſępenumerò videri ſolet cogitanti qua via ac ratione aliâs illi primùm in *Albionem* venerint. Nemo equidèm, puto, hominum cura nauigio aduecta tàm nocitura animalia, vèl propagandæ ſpeciei, vèl venationis gratia exiſtimabit: neſcio an natando ſponte ſua tantum curſum confeciſſe arbitra-

bitur, quemadmodùm de Draconibus apùd *Æthiopes* refert *Plinius*, de quibus narratur, in maritimis eorum quaternos quinóſque intèr ſe cratium modo implexos, erectis capitibus velificantes,ad meliora pabula *Arabiæ* vehi fluctibus, duplo certè quidèm atque ſuprà longiore, quàm hodiè eſt è *Gallia* in *Britanniam* traiectu. Hoc autèm ſi parùm vobis credibile videatur, an itaque è terra recens cæleſtium corporum energia concalefacta, vulpes, lupos,vrſóſque natos dicetis, iuxtà *Ouidij* opere *Metamorphoſeos* opinionem,quam ille veteres philoſophos vèl gentiles theologos potiùs ſequutus,ad hunc modum extulit?

Cætera diuerſis tellus animalia formis
Sponte ſua peperit: poſtquàm vetus humor ab igne
Percaluit ſolis, canúmque, vdæque paludes
Intumuêre æſtu,fœcundáq; ſemina rerum
Viuaci nutrita ſolo, ceù matris in aluo
Creuerunt,faciémque aliquam cœpere morando.
Sic vbi deſeruit madidos ſeptemfluus agros
Nilus, & antiquo ſua flumina reddidit alueo,
Æthereóque recens exarſit ſydere limus,
Plurima cultores verſis animalia glebis
Inueniunt, & in his quædam modò nata per ipſum
Naſcendi ſpatium, quædam imperfecta,ſuíſq;
Trunca vident humeris: & eodem corpore ſæpè
Altera pars viuit,rudis eſt pars altera tellus.
Quippè vbi temperiem ſumpſere humórq; calórq;
Concipiunt, & ab his oriuntur cuncta duobus.

Cúmq;

Cúmq; ſit ignis aquæ pugnax, vapor humidus omnes
Res creat, & diſcors concordia fœtibus apta eſt.
Ergò vbi diluuio tellus lutulenta recenti
Solibus æthereis, altóque recanduit æſtu,
Edidit innumeras ſpecies, partímque figuras
Rettulit antiquas, partim noua monſtra creauit.

Cæterùm, doctiſſimus Poëta partìm fabulantium hiſtoricorum, partìm theologorum gentilium, *Phœnicum* ſcilicèt, ſicùt ego exiſtimo, *Ægyptiorúmque* ſcripta rimatus, vt ingenij ſui facilitate lectu iucunda, itá certè non admodùm veritati conſentanea reddidit. Niſi etiàm fortaſſè, ſeruatos tempore diluuij in altis montibus, vt præterquàm, aliquorum opinione, gygantes quoſdam, nonnullos etiàm alia animalium genera putetis, vti à quibuſdam proditum ipſe audiui: ídque non ſecùs quàm in *Parnaſſo* monte fieri potuit, de quo ſed falſò ità *Lucanus*,

Hoc ſolùm fluctu terras mergente, cacumen
Emicuit, pontóque fuit diſcrimen, & aſtris:

quod vt autument qui hanc *Albionis* cùm *Gallia* commiſſuram negant, neceſſe eſt, rem ſanè mihi perquàm abſurdam auditu, nè dicam impiam. Quæ cùm eloquutus eſſet ille, Equidèm non grauatè, Abbas, tulerim, inquit *Wottonus*, quòd te non facilè patiaris ab hac ſententia diuelli, tàm probabili, tàm ratione ſuffulta. In maioribus enim animantibus, generationem ex corruptione vèl quocunque modo æquiuocam,

cam, nemo Phyſicorum admiſerit, ac multò libentiùs in minoribus, quæ proptèr corporis exilitatem appellantur inſecta. Muſcas enim, veſpas, apes, crabrones, ex colliquantium corporum tabe, & commoderato cœli tepore: pulicus verò, atque culices, penéque infinita animalcula, ex terræ limoſæ nimirùm ſubhumidæque putredine naſci, in profeſſo eſt: bufones, itémque angues certos, & quędam piſcium genera: ranarum verò ſupernè in aëre progenitarum, ipſe cùm *Twino* hoc noſtro aliquandò decidentium imbri interfui, dùm è *Gallia Cantuariam* proficiſcens, *Baramdunam*, hodiè *Barhami* planitiem dictam tranſiremus. Sed lupos atque vrſos, leones & elephantos, camelos & equos, quis è terra ſubitò exoriri, aùt putreſcente alio corpore gigni docebit? Tota certè reluctabitur naturalium philoſophantium ſchola, nèc *Herodoti* mendaciorum videlicèt patris auctoritate mouebitur quicquam, quanquàm in fidem addùcat feracem ſuum & prolificum *Nilum*. Nàm extrà omnem dubitationem, quòd talia animantia ex vtriuſque tàntùm ſexus commixtione proueniant, eſt neceſſe, quod in cicuribus domeſticíſque pecudibus quotidiè cernimus. Neque enim plus bos vèl equus ex terrę limo de improuiſò cuiquam apparuit, quàm arbor aùt domus ex fortuito concurſu atomorum. Vtraque ſanè ratio iuxtà impoſſibilis eſt atque abſurda, ac ſapiente homi-

ne indigna, præſertim verſato in literis. Attamèn, vento concipere equas in *Hiſpania* ex *Virgilio* didicimus, quæ

Ore omnes verſæ in Zephyrum ſtant rupibus altis,
Acceptántque leues auras, & ſæpè ſine vllis
Coniugijs vento grauidæ, (mirabile dictu.)

quas obuerſas & non conuerſas, *Fauonij* flatibus, animalem concipere ſpiritum, ídque partum fieri, & gigni perniciſſimum, ſed triennium vitæ non excedere ſcribit *Plinius*. Conſimile quidèm de gallinis oua ſinè gallo parientibus narrant mulieres villaticæ, quæ inutilia ſunt, nèc apta fœtui producendo: ſicùt illi etiàm pulli equini meo iudicio, nèc vitales, nèc prolifici, nèc vlli vſui apti futuri ſunt, de quibus vterque grauiſſimus auctor. Quocircà, non ex generatione quæ ab vſitato naturæ curſu deflexit, natos illos viſos, aliáque fera animantia quibus olim hæc inſula laborabat exiſtimandum eſt, ſed multò veriſimilius Iſthmus admittendus eſt, pèr quem in eam ex *Europa* continente multis retroactis ſeculis, & humanum genus & belluinum ſicco pede pertranſiuit, nè quid Philoſophiæ, nè quid antiquitati, nè quid Chriſtianæ religioni repugnans concedatur. Sed, vt quæ multas ætatum memorias anteceſſerunt, ſolent vèl falſa plerumque, vèl incerta ſæpiùs, vèl obſcura nonnunquàm videri: ità non raró prætèr iſta de quibus modò, *Caer* vocabulum quale id tandèm eſſet cogitationem

variè

variè diſtorſit,quod plurimis *Britanniæ* ciuitatibus adiunctum meminimus. Cuius cùm tu paulò antè, doctiſſime abbas, mentionem aliquam leuem in tranſcurſu feceris, non data opera tetigeris diſputatione, hoc nùnc abs te petimus, ſi placet, vt vberius intelligamus. At ille,non ęgrè patiar me,*Wottone*,exorari inquit, in re tibi atque cæteris qui adſunt futura cordi, dabóque operam vt ex penitiore antiquitate, quod quæris, euadat clarius.

Principio verò, reuocare in memoriam oportet, quæ paulo antè de *Orientalium* ſeù *Phœnicum* aduentu in *Britanniam* dicta ſunt. Pòſt quorum appulſum, penè omnes ciuitates, oppida atque caſtella *Britanniæ*, tanquàm cognomine quodam, *Caer* vèl *Cayer* appellata, aliud quóque ſibi nomen, ſcilicèt, vèl à conditore, vèl à fluuio proptèr quem extincta, vèl à cœli ſoliúe natura, vèl à loci opportunitate conditionéque aſciuerunt. Latiſſimus hic campus ad expatiandum,ſed quoniàm iuuat, expanſis velis, tanquàm accincti ad profectionem nautæ, ſoluamus in apertum æquor, exempla cuiuſque iuxtà vulgi opinionem, breuitatis cauſare ferendo. Conditoris igitùr nomen obtinuerunt, *Caer Lud, Londinum Trinouantum : Caer Cuſtenni, Conſtantini* ciuitas apùd *Ordouices: Caer Gwortigern, Guthrenion*, caſtellum *Radnoriæ.* A fluuio verò præterlabente appellationem ſumpſerunt, *Caer Iske, Exonia Dannmoniorum : Caer*

Medwag,

Medwag, Maideſtonia Cantij: Caer Seiont, Segontium Ordouicum. A cœli ſoliue natura nomenclaturam mutuarunt, *Caer Gwent, Wintonia: Caer Badon, Bathonia: Caer Oderuant Badon, Briſtollia, Belgarum* omnia. Poſtremò, à loci opportunitate conditionéque dicta ſunt, *Caer Kent, Cantuaria Cantij: Caer Glow, Gloceſtria Dubonorum: Caer Hean, Conouium Ordouicum.* Centum alia poſſim nomina ſtudio proferre in medium, ſed non immoror exemplis. Hoc tantum admonuiſſe ſufficiat, hoc ipſum quod *Caer* vocem ſequitur, non ſempèr pari cùm *Caer* eſſe antiquitate, ſed temporis viciſſitudine quandoque commutatum. Verùm, cuius gentis vocabulum *Caer* dici debeat, cùm iuxtà omnibus non conſtet, pauliſpèr expendamus. Nemo puto doctus, Latinum dixerit. Sed cùm iſte *Brutus* noſter, vèl illorum potiùs qui talèm ſibi finxerunt, in *Latio* natus, ibique diù educatus eſſe perhibetur: quî potuit Nouam *Troiam* more Latinorum vrbem quem condiderat appellare, non ità multò pòſt *Caer Lud* à poſteris dictam, qui quaſi ſtatim Latinè loqui dedidiciſſent, *Caer* prò vrbe, longiſſimè deflexa voce, dicerent? Oportuit ſanè mendacem eſſe memorem. *Caer* verò, *Britannis* olim atque hodiè, idem quod *Phœnicibus* atque *Syris* aliquandò, quod etiàm poſteà *Saxonibus Cheſter, Ceſter,* atque Latiniùs *Ceſtria,* plurimis ciuitatibus atque oppidis additum erat, cuiuſmodi ſunt

Wincheſter,

Wincheſter, Rocheſter, Worceſter. Horum nonnulla quóque in *berie*, *burie* & *borow* exierunt,vt *Newberie, Cantorburie, Peterborow*: quæ ſanè voces,ciuitatem,ſedem, curiam, vel ſepulchrum denotant, nihílque aliud nobis ſonare videntur, quàm quod *Germanis burg*, *Hiſpanis briga, Thracibus bria,* apùd quos omnes, oppidorum plurimorum ſunt terminationes. Sic florente olim Græcia,latéque diffuſa *Græcorum* lingua, ac longè etiàm pòſt illud tempus, eodem ſenſu vrbes non paucæ in πόλις deſiuerunt, quales ſunt ex Imperatorum & aliorum clariſſimorum virorum nominibus, à quibus, vèl in quorum honorem extructæ *Tiberiopolis Phrygiæ, Adrianopolis* & *Conſtantinopolis Thraciæ, Claudiopolis Hungariæ, Perſepolis Perſiæ.Chriſtopolis Macedoniæ,* aliæque complures, quarum poſtrema vox idem quod noſtrum *Caer* prępoſitum vrbium nominibus,ex primorũ impoſitorum arbitrio,denotat. *Caer* itaque,ſiuè *Cayer*,vèl *Cahyra* & *Cahyrum* Latino more pronunciatum,à *Cayer Babylonico Chaldaicoúe* vocabulo deductum, *Iacobo Zieglero* viro eximiè docto, munitionem ſignificat. Cælio autèm *Rodigino*, non aliud quàm *Babylonem*, hoc eſt, confuſionem quandam ex linguarum varietate,& diuerſitate gentium conflatam. *Solino* verò ciuitatem etiam, vt *Carthago* quæ primùm à *Phœnicibus* ſic nominata, poſtmodùm *Punica* lingua *Cartheda*, hoc eſt,ciuitas noua dicitur,exemplo poteſt eſſe,de

qua

qua appoſitè poëta:

O regina, nouam cui condere Iuppiter vrbem,
Imperióque dedit gentes frenare ſuperbas, &c.

Carthaginem atque *Carthaginenſes* intelligens. Quæ vtræque voces, *Carthago* videlicèt atque *Cartheda*, cùm à terminatione *Car* incipiant, argumento certè quidem non leui eſſe puto, ciuitates atque oppida, quorum nomina ab eadem exordiuntur, modò ſumma antiquitate fuerint, *Phœnicibus* fundamenta vèl ſaltèm appellationem acceptam referre debere, quibus *Caer*, vt demonſtrauimus ciuitatem ſignificet, hoc ipſum non magno negotio *Car* contrahitur. Quocircà, *Caer* illud in *Britannia* à *Phœnicibus* originem traxiſſe credendum, qui primi hominum ab antiqua *Babylone* vèl profecti vèl profugi, ampliſſimum illud & capaciſſimum in *Ægypto Cabyrum*, id eſt, oppidum ſeù munitionem condiderunt: ſupèr cuius amplitudine & ſitu, idem* *Zieglerus* ſingulare commentarium proditurum ſe in *Chorographicorum* tractatione, pollicetur. Ex his ergò, ô *Galfrede*, qui te alieni operis interpretem eſſe ais, aùt tu quiſquis fueris tàm vanæ & pluſquàm poeticæ hiſtoriæ conſarcinator, poteras didiciſſe *Chaldaicum* ſeù *Babylonicum* fuiſſe *Caer* illud, tot vrbium oppidorumque nominibus præpoſitum, non *Troicum*, non Latinum, non *Albanum*, vndè diceris oriundus, qualia ſunt quæ modò commemorauimus. Quid multa? Ipſa vox *Caer*, nihil aliud quàm

quàm munitionem, quàm defenſionem, quàm propugnationem, quàm fortificationem, quàm caſtrametationem, quæ tamen idem ſonant, ſignificant, adiunctis alijs vrbium oppidorúmquè nominibus, quæ cùm in diſcrepantes linguas ab alijs atque alijs incolis commutata ſint, retinent tamèn primam antiquámque ſignificationem. Sic *Caer Kent Britannis* vèl veriùs *Phœnicibus*, dulciſſimæ patriæ noſtræ adeóq; totius imperij *Cantiorum* caput, poſteà eodem ſenſu *Romanis Cantij* area, & pèr commutationem *ij* in *u* contractiùs *Cantuaria*, *e* verſo in *i*. ad finem dictionis eſt dicta, quæ curiam ſeù planitiem *Cantij*, hoc eſt, loci nemoroſi denotat, vbi accolæ cùm incolis conuenire ſolebant, & negotia tranſigere. Fuit autèm olim hæc regio admodùm nemoroſa & arboribus læta ſpontè naſcentibus, taliſque adhùc supereſt cœlo ſubeſtque ſolo natura, vt mirum in modum ſylueſcat arboribus producendis. Hanc verò ciuitatem, *Saxones* maiores noſtri *Canterberie*, quòd *Cantiorum* curia eſſet, dixerunt. Quæ ſanè vox tortuoſè vtcúnque, à *Cantor* & *berie* contracta eſt. *Cant* enim principium dictionis, & *or* prò orum genitiui pluralis *Cantiorum* terminatione, atque his addita *burie*, *berie* vèl *beria*, quæ ciuitatem, curiam, ſepulcrum, vèl ſedem ſignificat, vt anteà retulimus, *Cantorberie*, tanquàm ex *Sinæreſi* quadam conficiunt, ſiuè eam potiùs *Cantuariã* magis *Romanè*, à *Cantij* area, mauultis appellari.

appellari. Verùm ſi adhùc altiùs libet antiquā huius ciuitatis nomina indagare, videbitis eam ab aliquibus *Carlem*, vèl potiùs *Caerlem* neſcio ſanè qua ratione dictam, niſi fortè à *Caer*, & *Leam* vel *Lean*, quod *Britannis* virginitatem vouentes ſignificare didici, quaſique monaſticam vitam profitentium ciuitas ob religioſorum ibi degentium numerum diceretur: tùm etiàm *Thorowbourne* vel *Dorobornia* à recente aqua tranſfluente appellationem ſortitam, ad diſcrimen *Dorobrina* vbi dulcis aqua cùm ſalſa miſcetur. Itaque caueant ſcriptores, nè *Doroborniam* prò eo portu qui modò *Douorium* dicitur accipiant, quod à nonnullis factum ac ſcriptum eſſe animaduertimus, non ſinè pudendo errore.

Cæterùm, cùm nulla penè ciuitas huius regni, vèl natalium antiquitate, vèl fortunæ dignitate, huic noſtræ præferenda, aùt nè cùm hac quidèm ſit conferenda: non raro tamèn paſſa eſt ſuos manes, paſſa ſuos labores. Claruit quidèm diù regum *Cantiorum* fortiſſimorum regia, itémque Archiepiſcoporum ſede, ac vtrorúmque ſepulturis, puritate religionis, numeroſitate cœnobiorum. Afflicta quoque eſt ſæpiùs, cincta obſidionibus patuit vaſtationi *Danorum*, deformata propugnaculorum quorundam demolitione, conſumpta vèl diminuta incendijs, vèl hoſtium furore vèl caſu aliâs accidentibus. Quorum tamèn, meo iudicio, nul-

lum fuit luctuoſius, quàm quod proximè, atque annos non ità ante multos quidèm, in ædibus Chriſto ſacris exortum eſt, quo prętèr alia ædificia, ipſa celeberrima bibliotheca à *Theodoro* Archiepiſcopo inſtituta, à multis benemerentibus amplificata, ac poſteà ab *Henrico Chicheleo* ſucceſſore conſummata, exarſit, ibíque intèr multa librorum millia, alterum, pròh dolor, exemplar diuini illius operis *Marci Ciceronis* de Republica, flammis exuſta eſt. Alterum verò quod *Romæ* eſſe accepi, à me tamèn ibi aliquandiù degente non conſpectum, ſæpiùs à doctis viris non minùs quam *Iulij Cæſaris* libros Anticatones à Cardinale *Erardo* à *Marcha*, veſtro *Lodouico Viue* referente, promiſſos, cùm nonnullis alijs ſummorum virorum deſideratis operibus, typis impreſſùm nondùm accepimus. Fuit autèm *Theodorus* natione *Græcus*, *Tharſo Siliciæ* oriundus, *Italia* in *Angliam* profectus, ab *Auguſtino* noſtro ſextus *Cantuarienſis* Archiepiſcopus, anno Incarnationis dominicæ ſexingenteſimo ſexageſimo octauo, vir *Græcæ* linguæ purioris & *Latinæ* iuxtà doctiſſimus, qui *Cantuariæ* ſcholam publicam inſtituit, vndique accitis bonarum artium profeſſoribus, in qua ipſe quoque cùm *Adriano* docuit, ortíque ſunt illis diſcipuli qui pèr totam *Angliam* clarueꝛunt. Ex horum numero fuerunt *Cedda, Erkenwaldus, Wilfridus, Cutbertus, Tobias, Albinus* & *Ioannes*: hunc quem aliqui *Ioannem* de *Beuerlaco* fuiſſe

fuiſſe arbitrantur, à puero eductū ſumma cura erudiuit, qui poſteà, vt fama eſt, venerabilis *Bedæ* præceptor extitit. *Erkenwaldus* & *Tobias* tātos progreſſus in literis fecerunt, vt ille in *Londonēſem*, hic in *Roffenſem* Epiſcopum electus fuerit. *Albinus* autèm ille magnus, non modò domi in *Anglia* humaniores literas profeſſus eſt, verumetiàm ad *Cæſarem Carolum* magnum legatione perfunctus: ab eodem vt *Pariſiorum* Gymnaſium inſtitueret ac ordinaret, honorificè detentus eſt. *Ceddam* verò ſic *Theodorus* amauit, ſic honore proſequutus eſt; vt cum ſuis manibus in equum ſubleuare ſolitus ſit, quô ad diuinum verbum prædicandum expeditiùs proficiſceretur: non enim adhùc Epiſcopi equis, ſed pedibus ad ea quæ ſui officij erant perficienda, ferebantur. Quintiàm multæ nobiles fœminæ, ſcilicèt *Etheldreda* regina, & *Ethelburga* etiàm *Edwini Northumbrorum* regis vxor, huius, de quo modò, *Erkenwaldi* ſoror laudatiſſima fœmina, cùm alijs, vt *Theodorum* docentem audirent, frequentes acceſſerunt. Hic verò poſtquàm octoginta octo annos vixiſſet, deſijt eſſe intèr viuos: ſedit autèm viginti duos in Archiepiſcopatu *Cantuarienſi*. Cuius eruditionis reliquiæ ac tanquàm igniculi quidam, antequàm bonæ literæ prorſùs altis ignorantiæ tenebris obſcurarentur, vſque ad *Odonis* Archiepiſcopi tempora, qui erat ab eo decimus tertius, ad tercentum & ampliùs annos, durauerunt. Sed de

Cantuaria antiquitatibus, rebus & fortuna, peculiari tractatu fortaſſe aliâs, nùnc ad *Wintoniam* accedamus.

Hæc verò ijſdem temporibus *Britannis Caergwent,* eodem quóque ſenſu *Romanis* dicta eſt *Vintonia* : & temporis tractu corruptè noſtro more *Wintonia*, à *Saxonibus* poſteà *Winchester*, id eſt, vrbs vini vèl vinifera, quaſi dicas, munitio vèl fortificatio vbi creuit optimum vinum in *Britannia*, appellata eſt. Nam cùm antiquitùs hæc inſula in locis campeſtribus ac montoſis, qui ſolaribus radijs exponerentur, viribus ad vinum exprimendum conſitis abundaret, ac fieret non illaudandum: nullum tamèn erat *Wintonienſis Lyæo* latice tractus anteferendum, aùt nè conferendum quidèm: quanquàm *Malmeſburienſis Gloceſtrenſis* agri vites ac vinum tantoperè laudibus evehat. Sed nè noſtra ſanè domus vineis carebat olim, quibus *Northomes, Fiſhpoole: Litlebourne, Conningbrooke* in parochia de *Sellinge,* cùm nonnullis alijs deſtinabantur. Verùm hæ, & quotquot in *Anglia* fuerant ad vinum comparatæ, temporum viciſſitudine, & incolarum ſocordia deficere, maximè *Henrici* tertij *Ioannis* filij, temporibus cœpere, cùm gliſcentibus domeſticis & externis bellis, noſtrates *Gallicum* vinum & ſanguinem ardentiùs ſitirent. Celebris quidèm fuit hæc ciuitas olim, *Arthurij* procerum menſa rotunda, *Occidentalium Saxonum* regia & ſepulchris, epiſcopali ſede,

lanarum

lanarum cuſtodia & mercatu, *Henrici* tertij fauore & frequenti præſentia, inſtructiſſimo *Wiccami* epiſcopi collegio. Verùm, quid ego hîc etiàm indignam ideóque deflendam *Edmundi Wodſtochij Cantij Comitis*, mortem, quam *Wintonia* vidit, commemorem? Qui cùm regem ac fratrem ſuum amantiſſimum, *Edwardum* eius nóminis ſecundum, ab *Iſabella* impudica coniuge ſua eiúſque adultero *Mortuomaro*, arctiſſimo carcere ad necem vſque diſtrictum in libertatem aſſerere voluiſſet: in hac ciuitate ſecuri percuſſus, interijt. Néque hanc tàm piam ergà fratrem voluntatem, in accuſationem ſolùm inimici obiecerunt, verum etiàm quòd, vt *Adamus Merimuthus* eſt auctor, numeroſiori quàm par erat, famulitio ex *Normannorum* conſuetudine qui hanc peſtem in Angliam, quæ multorum nobilium amplas hæreditates decoxit, primi inuexerunt, conſtiparetur: alerétque ſeruos nimiùm otio atque licentia deditos, qui cùm aliorum bonis abuterentur, nihil prorſùs reddebant eorum quæ receperant. Nèc prætereundum ſanè *Aurelianum Ambroſium* quanquàm hîc mortuum, tamèn *Ellenduna* quæ vulgò *Sariſburienſis* planities dicitur, in æditiore loco qui ex eius nomine *Mons Ambroſij* dictus eſt, ſepultum. Vbi ipſe priùs *Ambroſij Merlini* mathematici ſcientia fretùs, vt fertur, gygantum choream, vèl immenſæ magnitudinis ſaxa in memoriam occiſorum & ſepultorum ibi *Bri-*

tannorum procerum, erexerat. Cæterùm, cùm hæc vrbs fortunæ vtriúſque varietatem ſæpiùs cùm nonnullis alijs, vèl ſuprà nonnullas experta ſit: non eſt tamèn noſtrum inſtitutum in præſentia, lamentari fata, ſed rimari antiquitates locorum. Tùm *Digonius*, eſt hoc ipſum quidèm reuerà, inquit, reuerende pater, quod hoc tempore antè omnia expetimus. Itaque cùm *Cantuariam* atque *Wintoniam* ciuitates veterem nominis ſignificationem retinentes, exempli cauſa, commemoraueris, vt eandem operam in alijs etiàm omnibus explicandis impendas, maiorem in modum, ſi vacat, poſtulamus. At ille, minimè verò, mi *Digoni* frater, néve me quæſo, inquit, ad tales impellito curas: quibus etſi longè impar non eſſem, tamen me dies recenſendo deficeret. Multa enim vrbium noſtratium nomina obſcuritate longa premuntur, appellationis primæ vera cauſa, altis obliuionis tenebris inuoluta. Nihil verò debet eſſe in antiquitate aſſerenda, commentitijs fabellis, ſi fieri poteſt, loci. Temerarium igitùr fuerit, idem de omnibus polliceri, quod de paucis admodùm præſtari poterit. Dicam tamèn quid ipſe *Galfredus*, atque pòſt eum *Britannicæ Anglicæque* hiſtoriæ ſcriptores aliquot, mandarunt memoriæ: videlicèt, has duas ciuitates quas modò commemorauimus, claras quidèm olim atque illuſtres, ab vno rege *Britanniæ* qui *Hudibras* dictus fuit; tradit enim omnia tàm confidentèr,

dentèr, aùt ſaltèm ille cuius eſt ipſe interpres operis, quàm ſi non auritus ſed oculatus teſtis: vèl tanquàm *Bruto* ſuo fictitio & *Corinæo*, ac poſteà regum *Britannicorum* ſeriei vniuerſæ, hìnc *Cæſari* & *Caſſiuellano* à ſanctioribus conſilijs fuiſſet. Verùm, hic ſcriptor ex eorum numero eſt, qui omnia ex animi ſui ſententia, non vt geſta erant referunt: facítque ex nihilo aliquid, ex culice, quòd aiunt, elephantem. Cæterùm, quòd ad illas ciuitates, *Cantuariam* videlicèt, atque *Wintoniam* attinet, ſic vobis perſuadete: nullum *Britanniæ* regum antè *Iulij Cæſaris* aduentum, totius inſulæ monarchiam tenuiſſe.

Imò verò vix decimam, aùt vt veriùs dicam, quadrageſſimam partem vnum aliquem rexiſſe exiſtimandum, ſiquidèm vni *Cantio*, vt diximus, quatuòr reges, *Cingentorix*, *Caruilius*, *Taximagulus*, & *Segonax*, *Cæſaris* tempore prefuerunt. Etenim, hæc tenuis inſula, olim in tot regna ob regum atque plebis iniquitatem diuiſa, continuis defectionibus, proditionibus, prælijs atq; internecionibus ſeipſam quàm miſerimè dilacerauit, donèc ſummo Dei beneficio, ab *Egberto* occidentalium *Saxonum* rege in monarchiam redacta eſt: neſcio profectò an rurſùm aliquandò proptèr principum vèl populi delicta, in conſimilem ſtatum recaſura. Vnumnè igitùr regem duas ciuitates tàm amplas, ac tanto interuallo diſiunctas, diſtant autèm centum millia paſſuum plùs minùs, ædificaſſe credendum?

dendum? Mallem equidèm quiduis potiùs, quàm quod veritati repugnat, credere. Fuerunt proculdubiò egregiæ *Caeræ* ſiuè propugnacula *Cantuariæ* atque *Wintoniæ*, ſed à totius agri cuius ſunt hominibus in ſuam ipſorum tutelam extructæ, vt haberent reges vbi ab externa vi atq; domeſtica ſe tutarentur. Alioqui, quid *Cenomagnis* cùm *Segontiacis*, quid *Ancalitibus* cùm *Bibrocis*, quid *Caſſis* cùm *Trinobantibus*: denique quid his omnibus cùm *Caſſiuellano*, ex quibus *Cæſar* cognouit ab eo loco non à *Trinobantibus*, eius oppidum non longè abeſſè, ſyluis paludibúſque munitum? Oppidum autèm *Britanni* vocant, cùm ſyluas impeditas vallo atque foſſa munierint, quò incurſionis hoſtium vitandæ cauſa, conueniant. Quocircà, vnum aliquem regem eas ciuitates condidiſſe, vt quibuſdam placere video, minimè concedendum, quę multorum opera atque impenſis exædificatæ fuere. Neque poteſt certè quicquam apertiùs de *Trinobantibus* & *Caſſiuellano* dici, quàm quod tradit *Cæſar*, ſcilicet *Trinobantes* cupere, vt *Mandubratium* quem propter hanc defectionem *Androgeum* vocant ſępiùs hiſtoriæ *Cæſar* mittat, vt præſit & imperium obtineat, cuius pater *Imanuentius* in ea ciuitate regnum obtinuerat, interfectúſque fuerat à *Caſſiuellano*, ipſe verò fuga mortem vitauerat, & *Cæſaris* fidem ſequutus, ad eum in continentem *Galliam* venerat. Adde etiàm, quòd poſtquàm *Cæſar* pèr deditionem

onem

onem *Caſſiuellanum* recepiſſet, eidem interdicit atque imperat, nè *Mandubratio*, neuè *Trinobantibus* noceat. Equidèm inquit *Wottonus*, videor mihi clare videre, atque cuiuis ſatis liquere puto, aùt *Londinum* noſtrum veterum *Trinobantum* ſedem non fuiſſe, aùt *Caſſiuellanum* non verum *Trinobantum* regem, ſed vicinum tyrannum, qui dolo *Imanuentium Trinobantum* legitimum regem interfecerat, extitiſſe. Omninò ita eſt extrà omne dubium, mi *Wottone*, inquit *Vochius*, eóque ſæpenumerò magis mirari ſoleo, *Cambrobritannos* amicos gentiléſque noſtros, communis regni cohæredes, ità mordicùs eam tenere ſententiam, vt *Trinobantes* & *Londinenſes* vnam eandémque credant ſedem occupare. Eóque magis moueor, cùm grauis auctor imprimis *Tacitus*, doceat *Romanum* legatum *Suetonium Paulinum*, mira conſtantia medios intèr hoſtes, *Londinium* perrexiſſe. Medios dixit intèr hoſtes, hoc eſt, commotos ad rebellionem *Trinobantes*, ſtatímque poſteà *Londinium* ſubiunxit, tanquàm alitèr animatum popellum. Sed vtatur quiſque iudicio ſuo. Mihi quidèm non alienum à ratione videtur, Deſiderij *Eraſmi* ferè coætanei noſtri, viri certè eruditi opinionem ſequi, qui in *Adagiorum* clariſſimo opere, ità refert ex *Stephani* teſtimonio. *Lindus*, inquit, ‹‹ ciuitas in *Rhodo* eſt, à qua deductum videri poſ- ‹‹ ſit *Londinum* apùd *Britannos*, quam vrbem *Ste-* ‹‹ *phanus Lindonium* vocat, citatque *Martianum* ‹‹ auctorem.

„ auctorem. Siquidèm, vtráque inſula eſt *Rho-*
„ *dus* & *Britannia*, ac vetus eius gentis lingua quæ
„ nùnc *Wallica* dicitur, ſatis indicat eam aùt pro-
„ fectam à *Græcis*, aùt certè mixtam fuiſſe: nè
„ mores quidem admodùm diſſident à *Græcani-*
„ *cis*. *Hactenus Eraſmus* in enarratione adagij
quod eſt, *Rhodij* ſacrificium.

Quarè, certè tandèm cùm ex *Cæſaris* Commentarijs, tùm ex *Taciti* hiſtorijs res ſatis aperta redditur, *Trinobantes* & *Londinum* non fuiſſe idem: ſed *Londinum* vetus nomen, & *Auguſtam Romanam* appellationem, conſtat tantundèm ſignificaſſe. Atqui, voś quæſo, *Wottone* atque *Digoni* ſuauiſſimi amici, vbinàm tandèm gentium *Trinobantum* vrbem collocabitis? Aliqui eam *Colceſtriam* eſſe volunt, nonnulli *Couentriam*, nàm *Polydori* de *Northamtonia* coniectura prorſùs exploſa eſt. *Trinobantum* certas ſedes definire, difficilè admodùm iudico, ſicuti etiàm vbi *Camalodunum* reponendum, quod *Hector Boëtius* regiam *Pictorum* facit in *Scotia*, quod niſi paucis probari intelligo. Sed qui eum locum *Colceſtriam* eſſe volunt, ſequuti ſunt, vt putant, auctoritatem *Ptolomæi*, ſed falluntur nihilominùs. At qui propiùs veritati, doctorum quorundam opinione accedunt, *Mealdunam Orientalium Saxonum, Camalodunum Britannorum*, eſſe putant, aliqui verò à quibus ſtare veritatem maluerim, *Wintoniam* eſſe eam vrbem exiſtimant, propterea quòd veterùm *Britannorum* & floren-

floręntiſſimi principis *Arthuri* temporibus,ea ciuitas *Camelot* vulgò dicebatur. Stabat ibidèm etiàm celebratum illud *Claudij* templum, cuius áliquam ad hùnc vſque diem partem remanere videmus. Opus quidèm erutu difficile, quandoquidèm cæmentum non diuellitur à ſaxo, licet ſubindè multóque ſudore tentatum ſubuerti. Cuius vrbis ſitus, videtur quidèm quibuſdam optimè conuenire cùm eo quod *Plinius* ſcribit de *Longiſſimis* diebus in *Mona* inſula, quæ diſtat à *Camaladuno Britanniæ* oppido, circitèr ducentis paſſuum millibus. Sed non minori obſcuritate inuoluitur, ecquod illud *Caſſiuellani* oppidum fuerat, quo & hominum & pecoris ſatis magnus numerus conuenerat, referente *Cæſare*, quo etiàm ipſe cùm legionibus profectus, locum natura opereque egregiè munitum expugnauit. Vbinàm verò id olim ſteterit, vèl quale ſit hodiè, non auſim proptèr opinionum diuerſitatem aſſerere: nonnullis *Vindonum*, id eſt, *Silceſtriam*, *Cyrenceſtriam*, vèl *Chermceſtriam*: aliquibus *Verolaminum* proptèr *Sancti Albani* oppidum, alijs aliam aſtruentibus. Sed ad excutiendas antiquitatis tenebras tanquàm ad expurgandum *Augeæ* ſtabulum, altero *Herculi*, vèl vt ad exturbandos *Saxones* ſecundo *Arthuro* nobis opus eſt, tàm ſunt penè incerta quæ certiſſima ducimus. Nàm ſi, vt in *Laurentij Vallæ* commentarijs in *Saluſtium* legitur, de vrbis *Romæ* penè terrarum orbis dominatricis

natricis natalibus ,nèc antiqui ſcriptores *Græci* cùm *Græcis*,nèc *Latini* cùm *Latinis* conueniant, non mirùm, ſi de antiquiſſimarum vrbium ſedibus ac conditoribus in *Britannia* dubitetur, quæ non in tanta hominum luce conſtitutæ, minùs ampla mercede ſcriptorum ingenia excitauerunt. Verùm *Arthuri* nomen prorſùs ſilentio præterire, piaculum duxero. Fuit ille quidèm verè nobilis iuuenis,ſtrenuus & animoſus patriæ propugnator, quemadmodùm domeſtica nobis tradunt monumenta,ſed *Galfredi* ſcriptis multò impar. Nollem equidem tantum támque pium principem, & tàm benè de patria meritum, tàm portentoſis mendacijs, támque frigidis nugamentis fulciri,nèc *Andromachen* anguibus cócinnari,quòd à multis dicitur. *Arthurus* ſe ipſe ſatis exornat,nèc eget fictitijs encomijs, ſed feretur linguis hominū quādiù in pace iuſticia, & in bello virtus laudabitur. Minimè itaq; opus erat *Elephancurum* regem *Hiſpaniæ, Hircatium Parthorum, Boceum Medonum,Sertorium Libyæ, Xerxem Itureorum, Pandraſum Ægypti: Politetem Phrygiæ* & *Tucrum Bithyniæ* ducem in *Romano* exercitu contrà *Arthurum* fingere,& armatos introducere : cùm omnes vèl mediocritèr in hiſtorijs verſati intelligant, tales eo tempore non extitiſſe reges, nèc ſi extitiſſent,*Romanis* paruiſſe. Iſti laceri centones non decent *Arthurum* noſtrum, cuius prudentiæ, iuſtitiæ, hoſpitalitatis, magnificentiæ, fortitudinis,

fortitudinis,gloriæ,plenæ ſunt hiſtoriæ noſtrę, plenæ exterarum gentium. Qui tanta virtutis bellicæ laude floruit,vt intèr nouem heroes orbis terrarum maximos, & intèr Chriſtianos ipſe maximus & princeps haberetur. Apàgeſis verò *Galfrede*, tot ementitos reges, qui te tantùm regionum atque regum aliquot nomina tenuiſſe indicant, nèc veri quicquam prætereà loquutum. *Medos* autèm aùt *Parthos, Armenios* aùt *Ægyptios, Hiſpanos* aùt *Libes* introduxiſſe in catalogum regum ac ducum nuſquàm tùm terrarum exiſtentium,ad *Arthurum* laudibus euehendum,minimè erat neceſſe,nèc externis bellis occupatum referre,cui ſatis etiàm ſupérque fuit *Britanniam* ſuam ab influentium hoſtium direptionibus defendere. *Roma* etiàm antè ab *Alaricho* capta eſt, quàm *Saxones, Scoti* & *Picti Britannia* pulſi. Sed hoc lucri faciunt mendaces, nempè verum aliâs dicentibus non creditur, iuxtà *Ariſtotelis* ſententiam. Fœlix autèm *Cornubia Arthuri* natale ſolum, quod primùm tanto principi auram æthercam prębuerit qua veſceretur: *Cilceſtria*,quæ regio diademate coronauerit: *Dubritius Legionenſis* Archiepiſcopus, qui ſacro oleo inunxit in regem: miſera verò *Britannia*,quæ tantum *Hectorem* immatura morte amiſerit. De cuius morte, quòd tàm multæ circumferantur fabulæ, effecit ſcriptorum grauium penuria eo tempore, poëtarum verò leuiculorum plus ſatis. Sepultura eius

quoque

quoque diù incerta, donèc corpus in cœnobio *Glaſconienſi, Henrici* ſecundi temporibus, è terra erueretur. Sepulchra eius alia itèm non vno loco oſtenſa, cùm inſcriptionibus, ſed nominis fortaſſè ſimilitudine poſteritati impoſitum eſt. Quòd autèm ad opinionem attinet, qua rurſus ſit regnaturus, equidèm libentèr crediderim tàm pio Principi, tàm virtutis ac patriæ cupido, immortalitatis regnum in reſurrectione mortuorum cùm pijs omnibus deferendum: quod fortè intelligere tantummodò voluit auctor illius verſiculi:

Hic iacet Arthurus, rex quondam, réxq; futurus:
„ eóque magis, ſiquidèm, vt refert *Cicero*, benè
„ meritis de patria, quaſi limes ad cœli aditum
„ patet: omnibúſque qui patriam conſeruaue-
„ rint, adiuuerint, auxerint, certum eſſe in cœlo,
„ ac definitum locum, vbi beati æuo ſempiterno
„ fruantur. Sed in terris infœlix certè cùm *Alexandro Macedone*, qui parem atque *Achilles*, laudum ſuarum præconem non inuenit. Quo verò tempore claruerit apùd auctores incertius iactari video: cùm quidam circà quadringenteſimum quinquageſimum tertium, alius circà primum ſuprà quingenteſimum, aliqui quadraginta duobus annis ſeriùs, *Tylberienſis* autèm, circà quingenteſimum decimum quintum à Chriſto nato annum antequàm extingueretur, floruiſſe ſcribat, cùm nonnullis alijs quæ de eo ineptè fabulatus eſt. Non deſunt tamen, qui

Arthuri

Arthuri animum vèl animoſitatem potiùs,tanquàm metemphychoſi quadam in aliquo huius regni heroico principe reluxiſſe poſteà arbitrentur,ſiuè ex *Saxonum* regum ſerie,ſiuè pòſt acquiſitum à *Normannis* imperium : fueritne is *Edwardus* primus,quo regnante *Arthuri* diadema aureum inuentum & eidem traditum, an *Henricus* eius nominis quintus *Gallorum* terror, an *Edwardus* niger ille Princeps belli fulmen, an *Henricus* ſeptimus ex antiqua *Britannorum* regum proſapia oriundus, an eius filius maximus natu eodem cognomine *Arthurus*, quem iuuenem nobis mors inuida rapuit,an eius frater *Henricus* octauus fortiſſimus Princeps, an quiſpiam proximis ſæculis victurus. Cecinit enim oraculis *Ambroſius Merlinus*, ad *Britannorum* gentem labentibus annis regni diadema recaſurum. Quod tamèn potiùs euenturum pòſt adeptam victoriam à *Normannis*, quorum ſtirpem regiam ad aliquas generationes, *Tauri* animalis nomine iſti vani rerum futurarum indagatores intelligunt, Prophetaſter quidam huius vaticinij quaſi interpres, clariùs tanquàm digito demonſtrare voluit, his verſiculis.

Brutus finitur, pòſt hunc nullus reperitur.
Tempus neſcitur venienti quod ſtabilitur.
Tempus tranſibit,Taurus mucrone peribit.
Merlinus ſcribit quòd Bruti ſtemma redibit.

Etenim pèr *Bruti* ſtemma, *Britannorum* regum proſapiam

proſapiam inaudiri vult, quæ cùm aliquandò tanquàm extincta iacuerit, non, niſi priùs perierit mucrone *Taurus*, vt *Merlini* fert opinio, reuertetur. Quinetiàm, Angelus ille fatidicus, qui in ſomnis *Cadwalladro* regum *Britannorum* vltimo, reſpõſa dedit, *Britannici* imperij inſtaurationem, (ſi fas eſt credere) prædicere viſus eſt, ſed longò pòſt tempore affuturum : ſcilicèt, cùm *Merlini* atque *Aquilæ* in monte *Palladuro* vaticinantis oracula ſupèr ea re, complerentur. Prædixerat enim Aquila, ſiuè *Iouis* ales, ſiuè is vir aliquis fuerit prophetico ſpiritu afflatus, totius inſulæ imperium, *Britannis Roma Cadwaladri* quondam regis ſui oſſa ſecùm afferentibus, ceſſurum. Quod tùm demùm futurum dicebat Angelus, cùm ad par incrementum vitiorum offenſarúmq; in diuinum numen perueniſſent *Angli* cùm *Britannis*, idem tùm luentibus amiſſione imperij. Vitia verò illa ob quæ *Britanni* regno exuti ſunt, ex nonnullorum relatione „ fuerunt, Negligentia & mala vita Prælatorum : „ rapina Potentum : cupiditas Iudicum : rabies „ periurorum : deteſtabilis luxuria, & deformi„ tas veſtimentorum : quibus acceſſerunt inſupèr etiàm intèr plebem priuatæ ſimultates, proditiones & rebelliones in principes : quorum etſi hæ ſint fabulæ, & delirantium nugamenta, interfuerit tamèn & Principum & populorum omnium meminiſſe, vt cùm iuſticia euehat gentem, ab conſimilium ſcelerum perpetrationem,

petrationem,regna ſæpenumerò, Deo vindice, prorſùs diſſipari, atque aliò transferri intelligant. Cùm enim Principes, mortales quidam dij,æterni Dei in terris munere fungantur,conſonum eſt vt ſumma eis ſecundùm eum obedientia exhibeatur, qua nulla poteſt excogitari ſacrificium illi acceptius: átque viciſſim vt ijdem terreſtres dij, commiſſum ſibi populum æquitate gubernent, qua nulla alia virtute ad Deum propiùs acceditur, aùt vitio longiùs receditur vbi ea defuerit. Hæc verò omnia an modò effecta data, quoniàm oraculorum ſubobſcuriora ſolent eſſe complementa, an poſteà ſint expectanda, incertum eſt. Ac de *Ambroſio Merlino* quidèm, qui ijſdem temporibus vixit cùm *Vortigerno*, (nàm cùm *Syluestro* magis quidem veridico qui ſub *Arthuro* vaticinatus eſt, mihi nùnc negotij) quod tradunt annales & domeſtici & externi, hodiè non ſolet in quæſtionem venire: cùm ex *Cambris* qui doctiores ſunt & cordatiores,vt ſunt eorũ plurimi,totam eius ex incubo geneſim, vt ineptam derident, & damnant vt impiam.Quinetiàm, neque *Galfredi* de eo ſententię, néque operis inſulſi compilatori conſentiùnt. Fuit autem *Merlinus* qui ignoto patre, *Adhana* nobili fœmina natus eſt, vir præter vulgi captùm egregiè doctus,reconditioris Philoſophiæ ſciens, multarùmque rerum cognitione ſuſpiciendus. Extant quædam eius vaticinia vèl prognoſtica potiùs, cùm

eſſet inſignis ſyderum contemplator, quorum mihi ſemèl contigit videre genuinum reſcriptum : nàm quæ ſub eius nomine de idolis, beſtijs, floribus & volucribus vulgò diſtrahuntur, ſunt *Bardi* alicuius triuialis, vèl leuiculi citherædi. His nimiùm credulà noſtrorum *Cambrorum* multitudo indoctior, ijs ſe plus ſatis macerando torquet. Itáque cùm vulgus, quæ ſunt longè ſuprà facultates ſuas habere ſoleat, & colere prò diuinis, credebatur *Merlinus* plus eſſe homine, cùm eſſet verè nèc incubo nèc ſuccubo dæmone ſatus. Talis erat etiàm antè non multos annos, ſcilicèt tempore *Edwardi* primi, *Rogerius Baconus Anglus*, ordine *Franciſcanus*, *Oxonienſis* incomparabilis *Mathematicus*, qui nonnullos ædidit eius argumenti, nonnullos theologicos libellos, quorum qui de Victoria Chriſti contrà Antichriſtum inſcribitur, dignum imprimis cenſeo qui à vobis perlegatur. Cuius opera omnia graphicè manuſcripta, & fortitèr compacta, ab ignaris hominibus, vt erat temporum aliquot ſuperiorum deflenda barbaries, qui ſe tamèn ſciolos haberi volebant, non intellecta & prò necromanticis damnata, longis clauis affixa tabulatis, in bibliotheca *Franciſcanorum Oxonij*, blattas ac tineas paſcentia, ſitúque & puluere obducta miſerè computrùerunt. Hoc quanquàm ab illis veriſimilitudine boni, ad ſupprimenda malarum artium volumina factum : non dubitandum

tamèn

tamèn quin eadem opera atque ignorantia, præſtantia aliqua ſcripta prorſùs extincta ſint, quibus etiàm gratiæ habendæ quòd vllis hodiè fruamur.

Porrò, de *Merlino*, non modò *Galfredus* ſuo more mirè fabulatus eſt, verumetiàm poſt eum cùm multi alij, tùm quidam *Gulielmus Pariſienſis*, qui vt eſt ab *Egidio Maſſerio* annotatum, immodicè nugatus eſt, & de gentibus quibuſdam ab incubis natis, & eorum ortu primario è dæmonibus prodidit. Sed vir vndiquaque doctiſſimus, *Ioannes Lodouicus Viues* amicus noſter, in diuum *Auguſtinum*, de iſtiuſmodi generationibus ad hunc modum diſſerit. Extant, inquit, « hodiè nonnullæ gentes quæ originem ſuam « habere gloriantur à dæmonibus, qui coierint « cùm fœminis virili forma, vèl cùm viris fœmi- « nea: quod turpius eſſe mihi videtur, quàm « referre nobilitatis ſuæ initia in piratas, aut la- « trones, aùt ſicarios inſignes, quod multi fa- « ciunt: hæc ille & ibidèm plura, horúmque ſimilia multa in libro de Diſciplinis. Ineptum ſanè quidèm valdè, inquit *Wottonus*, quod de quarundam gentium opinione ſuarum natalium refers, quodque ſatis intelligo ab aliquibus obſeruatum, illis tamèn non inſolens, qui à parricida ſe ortos oſtentant.

Verùm, hoc mihi gratum eſt inprimis, reuerende Abbas, quòd *Merlinum* à ſuis prò præſtigiatore habitum, honeſtis artibus imbutum,

non impuris incantationibus inquinatum aſſeras. Hęc enim immundorum ſpirituum, malignorúmque dæmonum inuenta ſunt, quibus homine cùm Satãna ſocietatem ineunt, vt optimè docet *Firmianus* ille *Lactantius:* quorum numero Aſtrologiam, Aruſpicinam, Augurium, Oracula, Necromantiam atque artem Magicam aſcribit. At *Vochius*, non omnem, inquit, Aſtrologiam neque Magicam damnarunt theologi. *Lactantius* verò, alioqui doctiſſimus & diſertiſſimus ſcriptor, parùm tamèn in Mathematicis verſatus, curioſitatem harum artium perſtrinxiſſe ſibi meritò viſus eſt, ſtudio certè virtutis, ac tanquàm pio errore. Sed de bonis literis, & morum cultura apùd *Britannos*, diuerſi diuerſa tradiderunt. *Marcus Cicero* in epiſtola ad *Atticum*, vbi belli *Britannici* exitum expectari ſcribit, nullius èx ea ſpem prædæ niſi ex mancipijs ait, ex quibus nullos puto, inquit, te literis
„ aut muſicis eruditos expectare. Et libro de na-
„ tura Deorum, paris eos cùm *Scythis* barbariæ
„ inſimulat. Diuus *Hieronymus* ſæpiùs *Britannorum* & *Britanniæ* meminit, ſed ità, vt eam ſempèr loco alicui cultiſſimo ex diametro opponat, & morum humanitati prædito maximè contrariam. *Eraſmi* verò noſtri hæc eſt ſententia, vt eam *Germanorum* & *Gallorum* incurſionibus effectam cultiorem arbitretur, ſicùt ego quoque iudicare ſoleo ab *Hunnis* & *Gothis Italiam*, cùm ab ijs omnis humanitas & pietas ex-

tincta ſit. Nam *Germani Saxones*, homines ethnici & prophani, omnem humanitatem & morum ciuilitatem ſuſtulerunt, Chriſtíque religione prorſùs deleta, paganiſmum altiſſimum induxerunt. *Dani* verò, quantam vaſtitatem regno intulerint, & crudelitatem in gentem exercuerint, brutis quàm hominibus ſimiliores, notior eſt hiſtoria quàm quòd eam repetere habeam neceſſe. Poſtremò, *Normanni* qui ſunt vera *Marcomannorum* ſoboles, & prò *Gallis* haberi volunt nèc ſunt tamèn, plurimùm terrę, plurimùm genti noſtræ multis iniurijs afficiendo, & tyrannide grauiſſima opprimendo, obfuerunt. Omnia omnium ſcripta, monumenta, antiquitates, memoriam rerum antè ſuum aduentum geſtarum obliterare, regum diplomata reſcindere, municipiorum priuilegia euertere, ciuitatum immunitates antiquare, nobilium familias exterminare, ingenuos in ſeruitutem rapere, bonos omnes malè mulctare, agros excultos in ſolitudinem conuertere, prò ſua libidine omnia inſtituere,

Auſi omnes immane nefas, auſóque potiti.

Quî ergò harum gentium incurſionibus hanc inſulam factam eſſe cultiorem dicis, *Roterodame?* Cùm *Galenus* ſcribat ſe ſanitatis ſua præcepta, cùm alijs Barbaris, tùm nominatìm *Germanis*, non magis quàm vrſis, apris, & leonibus prodere: de quorum ferinis moribus multa referuntur apùd *Æneam Syluium*. Quinimò

diſcite totius orbis terrarum incolæ, *Britanniam* noſtram à ſolis *Græcis* atque *Romanis* factam eſſe moribus cultiorem, bonis literis inſtructiorem, aliarum verò gentium omnium appulſu barbariorem. Sed vt ad Magiam reuertatur oratio, quam ab antiquorum *Druidum* hîc & in *Gallia* inſtitutis & religione profluxiſſe, ac tanquàm manu traditam, perſuaſum habeo: Hæc multò antè *Romanorum* in *Britannia* imperium, & poſt etiàm in hac inſula mirè inualuit, delata primùm ſinè dubio ab Orientalibus quos dixi, nimirùm *Phœnicibus* & *Babylonijs*. Ab his prætereà ipſa Diſciplinarum mater Philoſophia initio introducta eſt, vt non ſinè cauſa dubitari poſſit, illíſne à *Græcis* & *Romanis* tradita, an ab illis potiùs ad *Græcos* & *Romanos* deriuata videatur: barbari enim omnium iudicio primi philoſophari cœperunt, hìnc itaque eſt quòd dicit *Cæſar*, Diſciplinam in *Britannia* repertam. Ac fuit ille quidèm diligentiſſimus rerum omnium perſcrutator, & earum quæ reperierat ſcriptor eloquentiſſimus, vt eius Commentarij teſtantur, in quibus quæcunque de huius inſulæ primordijs, & incolarum moribus accipere poterat, ſumma fide prodidit memoriæ. Non enim, quandoquidèm vir ſummus & princeps Reipublicæ fuit, ac in *Britanniam* cum imperio profectus eſt, aùt potuit plura de ea intelligere quàm quæ ipſe mandauit litteris, quod ipſe in Commentarijs palàm profitetur: aùt non voluit

luit ſuſcitando inquirere,quod non erat illi vſitatum,cùm vndique conquiſitis monumentis, & accerſitis mercatoribus,nèc quanta eſſet inſulæ magnitudo, nèc quantæ nationes eam incolerent, nèc quibus inſtitutis vterentur, reperire poterat : aùt certè reliquit quæ eſſent ad hoc negotium perficiendum neceſſaria, quod hominis fuiſſet deſidioſi & tempore abutentis & imperio, & à *Cæſaris* quidèm indole, cùm eſſet omnis laboris patientiſſimus, quàm longiſſimè diſiunctum. Verùm cùm ipſe Imperatorum primus cùm exercitu hanc inſulam ingreſſus eſſet, eò certè diligentiùs antiquitates gentis, moréſque populi ſibi rimandos arbitratus eſt, vt priùs incognita aperiendi ſuis, gloriam aucuparetur. Cuius vnius cùm eſſent *Romani* ſitientiſſimi, ſic fortitudinem,temperantiam & iuſtitiam coluerunt, vt prò humanorum benefactorum mercede, totius terrarum orbis imperium diuinitùs illis concederetur. Quorum exemplis plenæ ſunt linguæ omnium exterarum nationum, plenæ ſunt literæ omnium *Romanarum* hiſtoriarum :neque plurimorum maiorum aùt ſucceſſorum laudibus impar *Iulius Cæſar* fuit, quem Deus Optimus Maximus auctorem eſſe voluit *Romanæ* amplitudinis in Monarchiam conuertendæ. A quo *Claudius* Imperator, ſecundus ad has oras claſſem appulit: quem hîc multa geſſiſſe memorant noſtræ hiſtoriæ.Produnt enim,veniſſe eum in *Britanniam*

ad repetendum vectigal imperio *Romano* debitum, ibíque ab *Arnirago* rege fugatum eius exercitum atque ipſum captum, filiam ſuam nomine *Genniſſam* illi nuptum dediſſe in pacis fœdera, & perpetuam amicitiam: Caſtellum inſupèr atque ciuitatem ex ſuo nomine *Claudiocestriam*, hodiè *Glocestriam* condidiſſe: & prætereà moratum in *Britannia* totam hiemem. Cęterùm *Galfredi*, vt ſæpè aliâs,

Hic immenſa cani ſpirant mendacia folles.

Non enim moratus eſt in *Britannia* vltrà viginti dies, ac nè tot quidèm, vt ſcribit *Dion Caſſius*. Sed vnum quod verum erat, nèc illud quidèm minimum, hoc à *Galfredo* viro docto prorſùs prætermiſſum miror: Scribonium Largum videlicèt doctiſſimum *Medicum*, cùm *Claudio* in hanc inſulam profectum, quod & ipſe de ſe teſtatur, & diligentèr *Ianus Cornarius Medicus* annotauit. Erat autèm antiquitùs, imperatoribus, regibus atque magnatibus ſolenne, quocúnq; terrarum proficiſcentibus, *Phyſicos* atque *Archiatros* ſuos ſecum ducere, qui non ſolùm ad bonæ valetudinis cuſtodiam, atque etiàm ſi quid noui in tractubus peregrinis, vèl ad cibum, vèl medicamentum occurreret, diligentiùs examinandum: verùm etiàm, vt hodiè quoque alicubi fit, ad ſanctiora conſilia admittebantur. Sic *Alexandrum Macedonem* ad orbis terrarum debellationem *Ariſtoteles*, ſic *Antonium* & *Cleopatram* in *Ægyptum* *Dioſcorides*, ſic denique

denique *Marcum Aurelium* & *Lucium* imperatores *Romanos* in *Germaniam Demetrius Medicus*, ſic multos clariſſimos principes doctiſſimi viri ſequuti ſunt. Multa verò *Scribonius* videre atque intelligere in *Britannia* poterat, de incolarum antiquitate & moribus, de regionis natura & temperie, de rebus in eadem dignis admiratione: Multa de aquis, de potubus atque cibis & eorundem præparandorum ratione, de locorum, vt ità dicam, genijs,

Et quid noſtra ferat regio, & quid ferre recuſet.

Multa denique quæ ad *Medicinalem* materiam pertinent ex animalibus, plantis ac terræ viſceribus petita, & quas herbas nòn paſſim obuias hæc inſula producat, obſeruare poterat, non minùs quàm in *Luna* portu ὀξυτρίφυλλον illud, quod apùd nos, vt ego arbitror, non minori quantitate quàm in *Sicilia* vere & æſtate erũpit, flòrétque: Itémque *Crithmum* marinum, qui in mediterraneis regionibus non ſuccreſcit, guſtatu ſalſo, quo ad condimenta vtimur: Nèc minùs *Biſtorta*, quæ quòd vèl ſolùm iſthic ferè, vèl fœliciùs proueniat, herba *Britannica* dicitur, cuius facultatem miram in profligando chronico quodam morbo difficilis alioqui curationis, experimento mihi cognitam, non eſt huius loci commemorare: Et prætereà *Empetron*, quæ & *Petrifindula*, *Britanniæ* propè peculiaris, cuius ad vrinas ciendas, & expurgandos calculos, renúmque ac veſicæ ſabuloſam materiam, vſus

perquàm

perquàm neceſſarius eſt. Poſtremò verò, *Crocum* ad cor exhilarandum, & ſedandos dolores vtile, cuius fortaſſè non eſt vbíque terrarum quàm in agris *Eſſexio, Suffolcio,* & *Cantabrigienſi* tàm vber prouentus: quæ ſanè omnia, atq; iſtis longè plurà quæ ad *Medicinam* pertinent, *Scribonium* in *Britannia* obſeruare potuiſſe, atque etiàm diligentèr obſeruaſſe, mihi quidèm minimè ſit dubium. Quòd ſi, vt veriſimile eſt, hic quóque ſit idem *Scribonius* cùm eo, qui *Mathematicus* apùd *Suetonium* in *Tiberio* ſpopondit etiàm regnaturum, vt videlicèt *Medicinam* & *Mathematicam* diſciplinam coniunxerit, poterat etiàm ſibi fortè anteà incognitos acceſſus & receſſus *Oceani* miros prò varia *Lunæ* pèr *Eccentricum* diſtantia intueri. Ac cùm antiquorum opinione, *Britannia* in Fortunatarum inſularum numero habeatur, quòd in mari *Atlantico* iacere à *Plutarcho* prodatur literis, huic eius perquàm amabilem aëris temperiem, exoptabilémq; cœli circumambientis clementiam, ſenſuum iudicio experiri licuit, quæ ſanè bruma aliquantulùm plus iuſto frigidior, & *Arnobio* ſole defici dicitur, ſed circumfluentis maris tepore recreari. Cuius etſi proptèr *Britannorum* fortitudinem inacceſſa *Romanis* loca, Chriſto tamèn ſubdita, refert *Tertullianus*. Indagare quinetiàm *Poli Borealis* altitudinem poterat, cuius ab *Æquatore* diſtantia regionis latitudo dicitur: & aſcenſionem obliquam planetarum exquirere:

exquirere: Itémq; cæleſtem longitudinem atq; ei quemadmodùm terreſtris reſpondeat, qua cùm aliàs per organa quędã Aſtronomica, tùm pèr *Lunæ* deliquia cognita, portuum, oppidorũ, ciuitatum locorúmque omnium intercapedo inueſtigatur : Cui inſupèr *Planetæ*, & *Zodiaci* ſigno ſubſit *Britannia*, cùm hoc ad corporis perfectionem operetur, ille ad animæ virtutem accomodetur. Etenìm *Luna*, quæ ex erraticis, noſtris finibus dominatur, ex rebus, omnia quæ humore abundant, mare ſcilicèt ac flumina & horum fluxus & refluxus, legationes, nauigationes, itinera, peregrinationes, & literarum ſtudia : ex perſonis verò, *Reginas*, viduas, plebem, curſores, legatos, nuncios, nautas, piſcatores, vagantem infimæ ſortis popellum, & quicunq; vitam in aſſiduo motu degunt, in quo vt mihi quidèm videri ſolet, noſtrorum hominum natura mirè deſcribitur, ſub imperio tenet. Cuius princeps Intelligentia qui eidem præſidet, Abbati *Tritemio* eſt *Gabriel*, hominum, ædificiorum, vrbium ſignificator & amplificator, quibus ſempèr hæc inſula abundauit, nèc carebit vnquàm : & *Aries* ſignum cœleſte ex ignea triplicitate, ſeptentrionalem moderato calore & ſiccitate contemperans.

Ac cùm verò adhæc, virtutes quędam reconditioris atque excellentioris cuiuſdam facultatis, à ſuperioribus corporibus in hæc inferiora deferantur : quid in hac prò aliarum gentium

more, vèl ſecùs vſu veniret, conſiderandum erat. Quemadmodum enim, qui ex ferri ſiliciſque colliſione excutitur ignis, ſi in materiam combuſtibilem recipiatur, fouetur ille quidem vigétque: itá quæ à cæleſtibus illis luminibus motu, lumine atque influentia vis defluit, ſiquidem in præparatam mentem inciderit, mirificos poteſt effectus producere. Nàm, quandò vitæ ſanctitas, fortis cogitatio, ardens deſiderium, certa intentio, & plena fiducia, ad cœli virtutes ſe accommodauerint: animæ rationalis facultas omni ſtella fortior efficitur. Quòd ſi his acceſſerint verba propoſiti operis nomine concepta, idque electis temporibus, itá vt intentio proloquentis ſperet ſe poſſe id conſequi quod conatur: ineffabilem habet poteſtatem. Sed de his plura libro de *Intentionibus*, de quò paulò antè *Rogerus Baconus*. Climatis non minùs notitiam habere poterat cui ſubiacet, cùm veteribus ſeptem tantùm vtrinque ab *Æquinoctiali* numerentur, atque *Britannia* aliquantò extrà ſeptimum in ſeptentrionem vltrà *Dia Boriſthenous* extendatur, donèc pèr *Riphæos* vèl *Meotidis* paludes, & pèr *Daniam* alia duo *Climata* à recentioribus adijcerentur, vt intrà prioris complexum hæc noſtra regio verè comprehenderetur: Parallelum quoque & decimum octauum quidèm, & viceſimum ſextum etiàm, quorum comparatione dies diem horæ vnius quadrante ſuperare longitudine
deprehen-

deprehenditur: Quæ itèm ſtellæ fixæ ipſum ſuprà caput noſtrum punctum,quòd *Zenith* dicitur,perpetuo curſu perambulent: Quę dierum, noctium & crepuſculorum quantitas: Qui venti crebriùs regiones noſtras verrant: Quémadmodùm ad ſerenitatem & imbres, ad calorem & frigus propenſum cœlum: Quàm incertum ſit ex aſtrorum mutuis configurationibus, in locis maritimis atque inſulis imprimis, de aëreis commutationibus ferre iudicium, quod *Ptolomæus* tanquàm parùm honorificum damnauerit; Denique,qui montes:quę valles: quæ flumina: qui portus: quæ moles: quæ littora: quæ naturæ miracula: quæ totius inſulæ dimenſio: quæ forma,rotundanè,an quadrata, an cuneata, an triquetra, vt delineantibus hodiè rectiùs deſcribitur, & in ſumma, quęcúnque ad *Mathematicas* conſiderationes attinent, quæ ſanè virum egregiè doctum qualis Scribonius reuerà fuit, in longinquis regionibus peregrinantem, vèl præter ardens ſcientiæ ſtudium, latere non poterant, vèl proptèr ſummam cognitionem non præterire. Quorum quidèm, quanquàm non omnium, exemplum non contemnendum, aliud agens certè non hoc ipſum tamèn, dùm *Quinti* fratris ex *Britannia* vſque miſſis literis reſpondet,ad hunc modum expreſſit *Marcus Cicero*. ô iucundas „ mihi tuas de *Britannia* literas! timebam *Oceanum*, „ timebam littus inſulæ. Reliqua non equi- „ dèm

dèm contemno, ſed plus habent tamèn ſpei
„ quàm timoris, magíſque ſum ſoll citus expec-
„ tatione ea quàm metu. Te verò ὑπόθεσιν ſcriben-
„ di egregiam habere video. Quos tu ſitus, quas
„ naturas rerum & locorum, quos mores, quas
„ gentes, quas pugnas, quem verò ipſum Impe-
„ ratorem habes, &c. Hæc certè illi. Mihi verò ſi liceret voti me eſſe compotem, optarem quidèm vt ipſius *Quinti Ciceronis* epiſtola extaret, ad quam hæc eſt reſponſio : neſcio quidèm quantam lucem afferret cùm ad multa alia, tùm ad ea quæ proximè egimus. Quæ ſanè omnia, atque his quidèm plura, in *Druidum* diſciplina tradebantur, quę Dei naturam, cœli contemplationem, ſyderum motus & iudicia ex *Ægyptiorum* arcanis, rerum naturalium facultates, mundi magnitudinem, orbis terrarum & priuatas regionum deſcriptiones, itémque animarum immortalitatem ſed ex metempſychoſi docebat. Druides enim, veteribus *Germanis*, *Gallis* atque Britannis, ſacerdotum ac prophetarum munere fungebantur, quos religionis cuſtodia, ſacrificiorum procuratio, omnis theologiæ ac ſapientiæ doctrina penès erat. Hij verò, quemadmodùm *Hama-dryades*, à δρυὶ, hoc eſt robore, quæ eſt quercus ſpecies, quòd ſub illis dijs litarent, & ex ijſdem vaticinarentur, dicti ſunt. Cùm enim *Hamadryades* gentibus roborum deæ ſint, vnà cum ijſdem roboribus quæ naſcuntur, cùm ijſdem quóque exci-

ſis,

ſis, vèl quocúnque modò pereuntibus emoriuntur, vndè nomen conſequutæ: rurſùs, cùm alijs denuò è terra repullulaſcunt, non minùs quàm in alijs corporibus renaſci hominum animæ putantur. Ac quanquàm non paucis arborum generibus viſcus innaſcatur, id tamèn quòd robori inerat *Druidibus* imprimis celebrabatur: quòd quicquid illis adnaſceretur è cælo miſſum, ſignúmque eſſe electæ ab ipſo Deo arboris arbitrarentur. Hic illis ſuæ ſuperſtitionis perſuaſione ad multa ſacer, ad ipſum morbum quidèm ſacrum, ac conſimiles cerebri totiúſque neruoſi generis affectus à *Medica* facultatis peritis imprimis vtilis vſurpatur. Quinetiàm ſi doctam Poëticen in conſilium adhibere lubet, hic ſanè ille eſt, qui

——————latet arbore opaca
Aureus & folijs, & lento vimine ramus,
Iunoni infernæ dictus ſacer,

quem ex *Sibyllæ Druidum* vt apparet, religione & ſacris initiatæ mandato, decerpere ab arbore, & manu geſtare oportebat *Æneam*, priuſquàm ſacra dijs infernalibus perficeret, quibus veniam ad *Erebum* deſcendendi impetraret. Quod meo ſanè iudicio nihil aliud eſt dicere, quàm quòd hic ramus commodè ad *Cacodæmones* & malignos ſpiritus arcendos præferatur: in quem finem vſam eo antiquitatem legimus, qui etiámnum hodiè in multis *Angliæ* locis ad laruas & incantamenta, domorum feneſtris,

ſtris, laquearibus & parietibus, à credula multitudine affigitur. Ac cùm ex *Druidum* inſtitutis, mos eſſet nonnunquàm humana corpora & ſanguinem litandi: non minùs prudens poëta *Miſeni, Æneæ* nimirùm ſocij ac amici mortem & funus ob oculos ponit, vt ſaltem demortui rogo, cineribus & ſepultura placarentur dij, qui ſolebant eiulatione ac cæde viuentium fieri æquiores. Hæc verò omnia à *Phœnicibus* ad nos introducta videri poſſunt, qui ſuperſtitionum multarum antiquis *Britannis* auctores extiterunt. *Druides* verò, quòd inſtuta ac diſciplinam ſuam aliquorum opinione olim ab *Indicis Gymnoſophiſtis* hauſerint, non prorſus à ratione abſonum videtur, cùm proptèr doctrinæ ſimilitudinem, tùm nudum vtrorúmque inceſſum: de quibus non ſecùs quàm de *Bardis, Eubagibus*, aliijſque eius generis, non pauca collegit *Timagenes*. Quòd ſi à *Gallis* ad *Britannos* primùm ex *Dryij* apùd *Celtas* regnantis traditione, & nomen & doctrinam *Druidum* profluxiſſe quiſpiam contendat, pèr me quidèm licebit ſi volet: vix tamen antiquitate tanta quanta pòſt *Albionem Orientales* illos, *Oceani* latratibus conſumpto iſthmo, in *Albionis* terram claſſe aduectos, mihi eſt perſuaſiſſimum. Equidèm cataclyſmi fluctibus vſque adeò labefactatum & attenuatum fuiſſe illum iſthmum exiſtimo, vt pòſt alteram vèl tertiam ætatem, admiſſis anteà illis primis quos dixi colonis,

nis, ferè ad eam formam quæ eſt hodiè partìm indiès ſubſidendo, tandèm prorſùs conciderit.

Sed his omiſſis tanquàm ad propoſitum negotium parùm ſpectantibus, ad *Iulium Cæſarem* reuertatur oratio, pòſt cuius ingreſſum in *Britanniam*, qui aperuiſſe eam potiùs *Romanis* quàm tradidiſſe quibuſdam viſus eſt, frequentior fuit huius inſulæ mentio apùd *Romanos* ſcriptores, numero quidèm non paucos, quàm priùs. Quos equidèm omnes ordine vobis nùnc percenſerem numerando, niſi eorum nomina, & tempora, & ſententias peculiari fortaſſè tractatu poſthàc aliquandò eſſemus explicaturi. Opus certè quidem, inquit *Wottonus*, & perlectu iucundum, docte Abbas, & ad temporum comparationem imprimis neceſſarium prædicas. Cæterùm cùm nonnulli recentiores non linguis modò, ſed literis etiàm prodiderint, huius inſulæ niſi minimam partem à *Romanis* occupatam: quàm procùl eorum arma verè penetrârunt, & quouſque victorijs emenſi ſunt, ſiquidèm explicare dignabere, feceris mihi certè, atque iſtis quidèm, vt puto, gratiſſimum. Mihi verò ita, inquit *Digonius*, vt nihil ſuprà, vt tantundèm quoque prò *Twino* noſtro recipiam, ſic vt eadem opera ornatiſſimo *Wottono* atque nobis etiàm, reuerende Abbas, abundè gratificabere. At ille, eſt hoc quidèm inquit, Amici, quod ſtudio, quod cùm aſſequutus fuero, cumulatè mihi ſatisfactum arbitrabor. Eſt enim hæc vna amicitiæ lex, vt quicquid honeſtum

eſt, id amici cauſa velis libentèr. Hoc verò recuſare ingratitudinis ſummæ eſſet, nèc minùs id quod poſtulatis, modò nox ingruens orationis curſum non dirimat, quæ ſæpè ſolet amicorum ſuauiſſima colloquia abrumpere. Nèc vos, quę à me requiritis prò multiplici lectione veſtra latere ſat ſcio, quanquàm eadem, ſi lubet, altiùs ac quàm breuiſſimè diſcutiamus. Etenim *Iulius Cæſar* Commentariorum quarto & quinto libris, locorum populorúmque aliquot meminit, quòs acceptis obſidibus atque tributis impoſitis, in fidem recepit. Hij verò erant *Cantij*, quos prorſus armis deuicerat, nèc non *Cenimagni, Segontiaci, Ancalites, Bibroci, Caſſi*, atque *Trinobantes*, quibus defenſis, atque ab omni militum iniuria prohibitis, expeditior erat ad cæterorum deditionem via, quorum nonnullos anteà attigimus, vbi de *Trinobantum* ſedibus diſputaremus. Sed non omnium, quorum nomina vſurpata, fines itèm conculcati *Cæſareano* exercitu. Protectis enim contrà *Caſſiuellani* iniurias *Trinobantibus*, planè omnes qui modò nominati ſunt populi, legationibus miſſis, ſeſe *Cæſari* dedunt. A quibus cùm cognouiſſet *Caſſiuellani* oppidum non abeſſe longiùs, id ille ità oppugnauit, vt ſtatim hoſtes ſe oppido eijcerent. Mihi quidèm itaque videtur, vniuerſum *Cantium, Suſſexiæ* vicina loca & *Sutherei-am* quæ regni nomine, itémque *Middelſexiam* & *Eſſexiam* qui hodiè à doctorum vulgo *Trinobantum* appellatione intelliguntur, legionibus

ſuis inuiſiſſe: nèc ſi ad plures penetraſſet, aut in gratiam recepiſſet, puto prǽterire ſilentio voluiſſe. Reliqui verò populi manus quidem dederunt, quorum tamèn regiones nunquàm à *Cæſare* conſpecta ſunt. Hæc verò, anno mundi termilleſimo noningenteſimo duodecimo, *Lucio Domitio Ænobarbo* & *Appio Claudio Pulchro* Conſulibus, itèm anno poſtquàm *Marcus Craſſus* cùm exercitu à *Parthis* cæſus interijt, antè Chriſtum verò natum quinquageſimo, in *Britannia* geſta ſunt. Non multò verò pòſt, *Cæſar* defatigatus, & aduerſis tempeſtatibus correptus, vt inquit *Eutropius*, ſed multò certè veriùs totius vrbis & orbis imperio inhians, *Britannici* nominis gloria potitus, victoria non prorſus conſummata, cùm exercitu in continentem *Galliam* reuerſus eſt. Sed neque ſuo neque aliorum iudicio, in gloria erat hæc profectio quam præſtitit: cùm *Ægeſippo* plus ſit tranſiſſe ad *Britannos*, quàm de *Britannis* triumphaſſe. Poſteà verò quàm viginti annorum ſpatio tanquàm à *Romanis* deſerta *Britannia* negligeretur, rurſùs erat tàm frequenti eorundèm acceſſu repetita, vt portus ille *Morinorum*, id eſt, maritimorum hominum, *Oceanóque* mari proximorum, *Britannicus* proptèr frequentem indè tranſfretationem in *Britanniam* *Plinio* teſte diceretur. Deindè, cùm *Auguſti* temporibus, ſponte ſua *Britanniæ* Principes & pacis petendæ munera afferrent, & tributa prouincialia penderent, ac poſtmodùm ſùb *Claudio* intériores inſulæ regi-

ones partim *Romanarum* partium, partim antiquæ retinendæ libertatis ſtudio bellis excandeſcerent: non ità longo pòſt tempore ſic vtraque peſte attritæ ſunt, vt omnes penè in Prouinciæ formam redigerentur. Sed imperante *Domitiano*, cùm *Iulius Agricola* Legatus in *Britanniam* mitteretur, *Romana* claſſis inſulam circumiens, cùm penitùs *Oceano* circumfuſam intellexiſſet, atque alterum orbem terrarum ſe inueniſſe arbitrata fuiſſet, eò obnixiùs *Romana* virtus cupiuit armis ſubijcere, quod velis circumdediſſet. Atque tùm primùm adiunctis confœderatorum viribus, eodem *Agricola* duce, altiùs in incognita & ineptiora *Romanorum* vſibus *Britanniæ* loca, penetratum eſt. Itum eſt enim in ſeptentrionales partes, ſuperati *Ordoluci*, hodiè *Cheniotæ* montes, *Horeſti* gens bellicoſa armis deuicti, perluſtrata *Calidonia* ſylua tantoperè *Romanis* ſcriptoribus celebrata, conſpectum *Taruiſium*, etiàm *Orchades* inſulæ in poteſtatem redactæ, atque ipſa *Hybernia*, non illa quidèm *Thule*, penè vicinorum ſortis metu ſubacta, vt illa *Iuuenalis* Poëtæ ſatis inſinuant.

arma quid vltrà
Littora Iuuernæ promouimus? & modò captas
Orchades, & minima contentos nocte Britannos?

Sed cùm ſeptentrionaliòr illa pars, & ad temperiem inæqualior, & ad culturam aſperior ac infrugifera magis viſa eſſet, hominúmque gentem incultam ac barbaram produceret: ſubductis præſidijs, horridiorem regionem, efferatis

tis colonis *Romani* relıquerunt. Poſtmodùm verò, ità ſe offerente locorum natura, vt inſula in duo diuideretur: illa quæ hodiè *Scotia* eſt, Beato *Rhenano Britannia*: ſecunda vèl minor, alijs *Calidonia, Albania* & *Britannia* incultior dicta eſt. Cuius incolorum incurſionibus nè quandò citerior pars infeſtaretur, quæ minús pèr ſe firmamenti habebant, induſtria adiuuarunt: adiectis arte confectis ſeptis, vt *Barbari* vèl muro vèl foſſa coercerentur. Ad hoc opus, *Iulius Agricola* qui primus *Romanorum* pèr hos tractus exercitus duxit, primus etiàm operator acceſſit, qui ſibi, vbi terra anguſtiſſima erat, eiuſmodi munitionibus introitum præcludere viſus eſt. Cuius facti exemplum vèl neceſſitatem potiùs ſequuti ſunt, *Adrianus, Antonius Pius,* & *Seuerus:* vt de *Adriani* quidèm opere ad hunc modum ſcripſerit *Ælius Spartianus.* Ergò conuer- «
ſis regio more militibus, *Britanniam* petijt, in «
qua multa correxit, murúmque pèr octoginta «
millia paſſuum primus duxit, qui *Barbaros Ro-* «
manóſque diuideret. Verùm *Seuerus*, poſteà non «
vſque adeò *Adriani* deſcriptioni adhærens, eis paulò, pèr tranſuerſam inſulam, ab *Ituna* ad *Tinæ* fluminis oſtium vſque ab eo ad occiduum mare, ſcilicèt centum viginti duobus paſſuum millibus, murum cùm foſſa duxit altiſſimum, qui etiamnùm hodiè ab auctore *Gual Seuer*, & ab effectu *Murus Pictĭcus*, & *Pictes-wal* dicitur. Cuius exemplum aliquo pòſt tempore anno videlicèt à *Chriſto* nato ſeptingenteſimo ſepti-

 mo,

mo, *Merciorum* rex *Offa* ſequutus, ingentem illam alteram foſſam de qua *Thornus*, ad *Cambrobritannos* excludendos, à *Deuæ* vſque ad *Vagæ* fluminis oſtium, pèr centum millia paſſuum, mira locorum inæqualitate pertraxit. Semoto itaque barbarorum metu, quæ intrà *Romanorum* clauſuras fuit, pari modo vt apùd cęteras nationes, facta eſt *Britannia* Prouincialis: non Proconſularis tamèn, ſed *Cæſareana*, & quæ vectigalia quotannis penſitaret. Vectigalia verò hunc vſum *Romanæ* Reipublicæ præſtabant, vt eſſent belli ſubſidia, & pacis ornamenta. *Romani* námque ex tribus rebus vectigalia ſolebant percipere: nempè, paſtione, agricultura, rerum exportatione. Ex paſtione: qui paſcua agroſque publicos quibus mulctati fuerant hoſtes, *Publicani* conducebant, quibus illi paſtores præficiebant, cùm quibus quandò inirent rationem de numero & pretio paſcentium ex ære pecorum, mandaréntque id literis, dictum eſt illud vectigal, Scriptura. Ex agricultura verò: quià decima pars frumentorum ab oratoribus ſinè precio exigebatur, quod itaque decumanum frumentum dicebatur. Poſtremò, ex rerum exportatione, quod proptèr res emiſſas & admiſſas portubus, *Portorium* dictum eſt. Nec inficiendum quidèm, talium commodorũ vim maximam ad victorum nutum quotannis *Britannia* elatam: cùm ad alias non ità multùm diſiunctas Prouincias in quibus erat annonæ charitas, hinc multas naues frumento onuſtas

exportas,

exportas, ſcriptores fide digni prodiderint.

Præterea, pingues pecudes, vèl viuos, vèl ſale condîtis carnibus, exercitibus ad commeatum, nèc non boûm coria, ouium vellera, æs non importatum ſed effoſum, plumbum tàm nigrum quàm album, quod in mediterraneis inſulæ regionibus naſci obſeruauit *Cæſar:* Item ferrum atque etiàm in æris plumbique albi fodinis aurum ac argentum, quàmquàm non magna copia inuentum: vt non prorſùs verum ſit, quod à *Cicerone*, (tanti oratoris bona cùm venia dixerim) ad *Atticum* ſcribitur, argenti nè ſcrupulum in *Britannia* reperiri, & quæcúnque alia emolumenta Prouinciæ, indiès exportari non dubitauerim. Quid ego piſcium multa genera, oſtrea, nacram, *Margaritas*, aliáque conchilea cùm nonnullis huius notæ ad delicias & ornamenta emiſſis commemorem? quorum conquirendorum gratia, à freto *Britannico* ad extremum *Danmoniorum* promontorium, atque indè ad *Cambriæ* verſúſque ſeptentrionem vltimos Prouinciæ fines, & *Oceanum Hybernicum*, nullus locus neglectus eſt. Hinc *Romanis* monumentis adornata *Britannia*, non tàm priuatis ædificijs Equeſtris virorum ordinis, quàm etiàm ídque imprimis omnis generis ad defenſionem propugnaculis, pontibus ac vijs etiàm Prætorijs & Militaribus, mira induſtria ac immenſis ſumptibus poſitis. Populus enim *Romanus* non priuatam luxuriam, ſed publicam magnificentiam amabat. Hæ viæ,

ſumma rectitudine tanquàm protenſa linea, pèr quæcúnque locorum incommoda, tanta latitudine ductæ ſunt, vt duobus plauſtris occurrentibus, vèl octo viris armatis militari paſſu incedentibus, ſatis ſupérque fuerint. Quæ nùnc peruetuſtę ſanè, nèc vnquàm reſtitutę quidèm, vèl terra obrutę, vèl ſyluis tectæ, vèl operibus ruſticis ità deformatæ ſunt, vt quæ aliquibus octo fuerint, nè vna quidèm hodiè integra remaneat. Nèc deſunt alia *Romani* apùd nos imperij monumenta, vèl ſuo loco fixa, vèl recentioribus ſtructuris adiuncta, quibus *Cantium* noſtrum alijs regionibus prelucet, in quo primaria erat Legatorum ſedes, tanquàm apùd totius inſulæ longè fortiſſimum & humaniſſimum populum, & quo totius Prouinciæ emolumenta congerebantur, vt ab idoneis portubus, & continenti *Galliæ* propiùs abeſſe poſſent. Et vt vno verbo vniuerſum hoc negotium complectar, *Romani* imperij pèr vniuerſam hanc inſulam eiúſque locos numero penè infinitos diffuſi, nullum eſt argumentum manifeſtius, quàm quòd à *Romanorum* publicis ac priuatis ædificijs conſpectis, numiſmatibus inuentis, inſcriptionibus perlectis, ſepulturis multis iam retroactis ſęculis, hodiéque effoſſis, atque poſthàc effodiendis, peti ſolet. Quorum generum non pauca ſunt mihi in manibus, videlicèt, lateres *Romani* : numiſmata aurea, argentea, ærea : lapides ac æra cùm inciſis epigraphis, ac idolis : vrnæ maiores ac minores :

lampades

lampades combuſtili materia plenæ : vitrea aquata ſubſtantia, redolente, luſtrali, lachrimoſa, vèl ichoroſa repleta : diuerſarúmq; itèm formarum fictilia, quæ in antiquitatis ſtudioſorum gratiam conſeruo omnia. Nec attinet, *Henrici* regis ſeptimi temporibus, *Aſhburiæ* in *Caſtrenſi* prouincia vas plenum *Romanis* nummis ab aratoribus effoſum referre. Vbi antiquiſſimum prætereà monumentum inuentum eſt, corpus videlicèt loculo incluſum in leuiſſimos cineres redactum, è cuius collo monile aureum cùm torqui & ſmaragdo precioſiſſima dependebat. Ex his togati bellicíque *Romanorum* mores, ex his ardens propagandæ gloriꝫ ſtudium, ex his denique conſeruandi in officio animos, mira victorum ſolertia elucere poterit. Sic quidèm exculta Prouincialis *Britannia*, ſic humanitate imbutus, ſed ſùb imperio retentus populus, quòd ferè à *Iulij Cæſaris* ingreſſu ad *Maximi* tyranni tempora, ſcilicèt, quadringentos triginta octo annos, perdurauit. Cùm enim *Maximus* regnum *Britanniæ* militum ſuorum ſuaſu occupaſſet, & delectibus pèr totam Prouinciam factis, robuſtiſſimam *Britannorum* iuuentutem in *Galliam* traduxiſſet ad occurrendum *Gratiano*, quem propè *Lugdunum* interfecit : eius paucis poſt diebus exercitus non procùl ab *Aquilea* cæſus, & ipſe *Maximus* à *Theodoſio* capite damnatus eſt. Qui verò ſuperſtites à clade remanſerunt, ad præſidiarios ſuos in *Armoricam* delati ſunt, quam paulò antè deuictam

Conano

Conano Meriadocenſi nobili *Britanno*, cuius auſpicijs & fauore tantas *Britannorum* copias in bellum ſecum faciliùs pertraxerat, *Maximus* dono dederat, atque ibi ſedes firmantes, à ſuo nomine *Britanniam* minorem nuncuparunt. Ergò, ad hunc modum robore ſuo ſpoliata atque elumbata *Britannia* : quæ exin *Scotorum Pictorumque* quotidianis incurſionibus reſiſteret, minùs valida fuit. *Scoti* enim *Pictíque* gentes *Scythicæ*, de quibus anteà ſententiam tulimus, *Britanniæ* inſolentes, iampridèm *Septentrionales* inſulæ partes inuadentes, non parum negotij flamma ferróque *Britannis* faceſcebant. Quibus, cùm viribus ad frangendos eorum impetus impares eſſent *Britanni*, ac ſępiùs in auxiliũ vocati *Romani* (vtpotè plurimis locis in bella diſtricti, impendentibus iam *Romani* imperij fatis, vt ingenti ruina tanta moles diſſiparetur) ſuccurrere omninò non potuerunt : deſertíq; ſunt quidèm à *Romanis Britanni*, nequaquàm verò *Britanni* à *Romanis* defecerunt. Quarè, commutato conſilio, cùm illos eadem triſtis fortuna tenacitèr vrgeret, *Vortigernus* quem iàm ſibi regem *Britanni* creauerant, accitis è *Germania Saxonibus*, bellicoſiſſima gente, de cuius virtute frequenti *Pyratica* anteà ſatis conſtabat, eorum fortunæ belli ſummam cõmendauit. Hij claſſe ſatis inſtructa, *Hengeſto* & *Horſa* ducibus in *Britanniam* armati veniunt, cùm *Scotis Pictíſq;* pugna nèc vna & altera tantùm fœlicitèr manus conferunt : quibus victorijs

torijs elati, cùm hoſtem ampliùs non timerent, & cœli ſolíque bonitate caperentur, rupta fide hoſpites adoriuntur, ſéque induunt, quo *Britannos* exuerunt, imperio. Sed néque hoc malum tamèn miſellis *Britannis Romanis* imprudentibus euenit: quorum adhùc poteſtate florente in *Britannia, Saxones* vſque adeò maria latrocinijs infeſtabant, vt ad oras maritimas defendendas *Comite* littoris *Britannici*, nouo videlicèt magiſtratu, opus fuerit, quo ſubducto, extemplò, ad ſummas inferendas iniurias, & regnum occupandum, nihil fecerunt reliqui. Sic *Romanorum* longè omnium humaniſſimo depoſito iugo, *Saxonum* impium & crudele *Britanni* experiuntur, & rectè ſanè ab equis, vt eſt in prouerbio, ad aſinos recidunt. Incolis verò in aſpera & inhoſpita loca, *Cambriam*, videlicèt atque *Cornubiam* fugatis, cultiores *Britanniæ* terras victores intèr ſe partiti, in *Heptarchiam*, id eſt, ſeptem regna diuidunt: ità tamèn, vt qui intèr ſeptem reges plurimùm viribus ac auctoritate valeret, omnium quaſi dominus & rex diceretur. Qui cùm primo in *Britanniam* ingreſſu, pietatis veræ Chriſtíque nominis infeſtiſſimi hoſtes fuiſſent: accepta fide pèr *Auguſtinum* noſtrum, qui iccircò *Anglorum Apoſtolus* dictús eſt, nulla alia gens veri Dei agnitionem ſitientiori animo imbibit, nulla ardentiori ſtudio amplexus eſt. Teſtis eſt *Ethelbertus Cantij* rex ſanctiſſimus, omnium *Angloſaxonum* regum Chriſti nominis primus hoſpes, itémque no-

ſtrarum

ſtrarum, *Digoni*, ædium primus, vt noſti, fundator: qui agnito Chriſti nomine, ſacróque baptiſmate renatus, hoc monaſterium, ſed non prorſùs quantum hodiè eſt, *Diuo Auguſtino* ac ſuis, in honorem *Apoſtolorum Petri* & *Pauli*, regali dono largitus eſt. Teſtis non minùs, ſed pòſt aliquot annos, tàm pietate quàm prouidentia illuſtriſſimus rex *Edgarus:* qui in honorem Chriſti eiúſque diuini nominis cultum, quadraginta cœnobia vèl à fundamentis extruxit, vèl parùm ſarta tecta inſtaurauit. Quæ, qui cognoſcere velit, *Henrici Crompi* opus legat, de fundatione Monaſteriorum in *Anglia.* Cùm verò hæ quas modò dixi natales *Saxonici* regni in *Britannia* fuerint, ſanè deinceps temporum decurſu tanquàm ad legitimã ætatem increuerunt: donèc regnaret Egbertus prudentiſſimus princeps, *Occidentalium Saxonum* rex, qui partim hęreditate, partim cõſilio & viribus, totius *Loëgriæ*, quæ prius à maioribus ſuis, *Saxonum* nimirùm regibus, in ſeptem illa diuerſa regna diuiſa erat, (*antium* ſcilicèt, *Meridionaliumſaxonũ, Occidentaliumſaxonum Orientaliumſaxonum, Orientaliumanglorum, Merciorum*, & *Northumbrorum*, ſolus *Monarchiam* adeptus eſt. Quam virtute partam, pari fœlicitate adminiſtrauit: ac priſtino *Britanniæ* nomine antiquato, terram *Angliam*, populum *Anglos* dici imperauit. Hæc verò circà annum redemptionis noſtræ octingenteſimum geſta ſunt, & trecentiſſimum quinquageſimum tertium, plùs minùs, poſtquàm

Saxones in *Britannia* conſederant.

Verùm cùm iam *Dani* aliquandiù, tanquàm noua ex *Oceano* exorta tempeſtate, terra maríque *Anglorum* imperium grauiùs exagitaſſent: *Edgarus* rex, de quo paulò antè, agris atque oræ maritimæ præſidia impoſuit. Claſſem quinetiàm ter mille ſexingentarum nauium inſtruxit, quæ in tres partes diuiſa, mille ducentæ naues à quoquo trium totius inſulæ angulorum, triquetra enim forma eſſe anteà annotauimus, ſcilicèt *Cantio*, *Belerio*, *Taruiſio*, in ſtationibus eſſent: quæ alternatis vicibus ſic ordinatæ, ab vno promontorio in aliud, in iàm profectarum locum aliæ ſtatim aduectæ, ad externam vim repellēdam, aut periculum, ſi quod immineret, auertendum, lenitèr ſecundo flumine perpetuò allabarentur. Hæc quanquàm tàm proſperè vt dixi conſtituta, tàm fortitèr adminiſtrata: tamèn vix priùs nata, quàm *Danorum* rabie diuulſa Monarchia fuit: qui tanquàm rapaces *Harpyiæ*, pèr omnia circumuolitantes, infauſto contactu & defœdatis vnguibus Diuina & humana conſpurcârunt. Nèc planè deſiuit eorum furor, (nunquàm enim dicam dominatum,) priuſquàm *Gulielmus Normanniæ* Dux, partìm vi, partìm precio, eorum animos molliuiſſet: qui & ipſe quidèm hæreditario quodam iure pòſt *Edwardum* illum Pium, nèc ſolùm victoria adire *Anglorum* regni gubernacula videri voluit. *Edwardus* enim *Gulielmi* auſpicijs ad regiam dignitatem euehendus, ſiquidèm ipſe ſinè liberis

liberis decederet, vt amico & cognatione propinquo, regni hæreditatem promiſerat. *Emma* verò quæ *Edwardo* mater, eadem *Gulielmo* abaui eius *Richardi Normanniæ* Ducis eius nominis primi filia fuit, qui *Gulielmi* ab *Arnulpho Flandriæ* Comite trucidati filius erat, atque hic illius *Rollonis* qui in *Galliam* claſſe appulſus, *Charoli Simplicis Gallorum* regis filiam in vxorem, & *Neuſtriam* in dotem accepit: à quo hic noſter victor ſextus *Normanniæ* Dux numeratur. Cuius familiæ cognomen non proditur literis, niſi quod euentus dederit: vt quemadmodùm *Edwardus* Pius à vitæ innocentia, & *Edmundus* Ferreum latus, ab inuicto corporis robore, ſic iſte *Nothus* diceretur, quòd *Herlotta* matre illegitimo compreſſu genitus ſit. Nèc diù certè fuit, quin altera ſtirps regali ſanguine permixta, alteram à *Normannica* appellationem introduxerit. *Galfredus* enim *Plantaginetta*, cuius abſque dubio à Plantagine herba, quemadmodùm olim apùd *Romanos* multarum nobiliſſimarum familiarum ab herbis & frugibus deductum nomen eſt, *Fulconis* Comitis *Andegauenſium*, *Turonum Cenomannorum* filius, ſumma nobilitate vir, *Matildam Henrici* primi *Anglorum regis* filiam, eandémque *Henrici* Imperatoris eius nominis quinti, viduam duxit in vxorem. Ex qua *Henricum* ſuſcepit, qui extincto præ mœrore rege *Stephano* matris ſuæ conſobrino, quòd altera parte regni huic *Henrico* ceſſiſſet inuitus: eius nominis ſecundus rex *Angliæ* inauguratur,

tur; & in regiam familiam nobiliſſimum illud *Plantaginettarum* cognomentū inſinuauit. Hoc mirum in modum poſteà prolis numeroſitate increuit : adeò vt ex ea gente quatuordecim reges, quanquàm deſultoria quadam ſucceſſionis lege aliquandò, continuata tamèn ſerie, regnum adminiſtrârunt. Donèc mortuo *Richardo* tertio *Angliæ* rege, ex tanta ſobole maſcula, & imprimis quanta erat *Edwardi* tertij, & qui ei auo nati ſunt Nepotes, & nomen & dignitas ad fæmellam recidit, videlicèt *Edwardi* quarti regis maximam natu filiam, nomine *Elizabetham Plantaginettam*, quæ noſtra ſanè memoria, *Henrico Theodoro Richmondiæ* Comiti præclariſſimo, fœliciſſimo matrimonio coniuncta fuit. Erat autèm is *Henricus* generis nobilitate clariſſimus, *Richmundiæ* Comite *Edmundo Theodoro* patre natus, qui *Owino* patre gaudebat, eo qui *Henrici* quinti viduam *Catharinam*, videlicèt *Charoli* ſexti *Gallorum* regis filiam, ex qua eundem *Edmundum* ſibi genuit, in vxorem duxerat. Porrò, *Henricus* matrem habebat *Margaretam* Ducis *Somerſetſiæ* & Marchionis *Dorceſtriæ* filiam, quæ auum *Ioannem Somerſetſiæ* Comitem, abauum verò *Ioannem Gandauenſem*, qui *Edwardo* tertio inuictiſſimo principi, tertius natu filius erat : ac rurſùs auiam nomine *Margaretam*, quæ *Theodoro Grononi* vxor, patrem *Thomam Theodorum* agnouit, qui matrem *Elienoram* ex matre ſua *Elienora Barrenſi* Comitiſſa, *Edwardi Angliæ* regis primi filia : & præthereà, genus paternum

ternum ad antiquiſſimos nobiliſſimóſq; *Britãnia* reges referebat.His itaq; cõnubijs extincta *Plantaginettarum* appellatio eſt, ſed continuata propago,quam inuectum *Theodororum* cognomentũ in regiam familiam,pari antiquitate,nobilitate,fœlicitate,gloria,decorauit. Ac quanquã falsò homines fortunę plerumq; caſibus aſcribant, quæ immutabili Dei cõſilio ſtabiliuntur, hunc tamèn principem nobis certè diuino munere conceſſũ exiſtimare par eſt, qui concuſſum ac inclinatum vtriuſque familię ſtudiorum ardoribus,regnum confirmaret.Qui turbulentiſſimas inteſtinę diſcordię tẽpeſtatęs ſic reprimere conatus eſt,vt nè vlla leuis quidem diſſidij aura poſteà afflaret. Qui extinctam ciuili bello nobilitatẽ reſtituit, deiectas clariſſimas familias erexit,ſpoliatos bonis omnibus auxit, orbatos pignoribus parentes cõſolatus eſt, miſeras occiſorum viduas recreauit,læſorum mortifera vulnera ſanauit, atq; ipſos penè dixerim mortuos in vitam reuocauit.Qui cùm ipſius *Anglia* medullę,atq; ipſa viſcera,omnia tandèm bellis, cædibus,tumultu,tyrannide arderent:ſic vt alter *Hercules* ad monſtra domanda acceſſit, vt prò furoribus quietem, prò ſanguine ſalutem, prò exorbitante libidine , inclytam iuſticiã reponeret. Qui cùm omnes regni rectè adminiſtrandi artes calleret:ſic his ornamentis inſtructus venit,vt cùm pacem exulantem exul,extorrémque extorris concomitatus eſſet, reducem quoque redux apportaret.Et qualis olim apùd

Iſraelitas

Iſraelitas Moſes,apùd *Romanos Numa*,apùd *Lacedamonios Lycurgus:* talis certè quidèm mihi ſubindè cogitanti,videri ſolet noſter ſalutaris legiſer *Hen.*ſeptimus. Qui nonnunquam ab hominum frequentia in grauiſſimis cõſultationibus ſe ſubducens : ſempèr quiddam homine maius moliri, nèc vnquàm minùs ocioſus quàm cùm ocioſus , nèc minùs ſolùs eſſe quàm cùm ſolus viſus eſt, quod de illo magno *Scipione* humanæ naturæ ſpecimine incomparabili, memoratur. Qui deniq; *Dauidicis Salomonicíſq;* iuxta diuinis facultatibus præditus, ſic bellũ geſſit vt poſteà in pace viueretur, ſic regnum adminiſtrauit vt qualis pòſt ſe Reſpublica futura eſſet ſua intereſſe arbitraretur,ſic verò pacem amplexus eſt vt eam in hæreditatem aſcitam , cùm ipſe *Lancaſtrenſis* familiæ hæres hæredem *Eboracenſis Elizabetham* duceret in vxorem, tàm Eccleſię Dei perennẽ,quàm regno ſempèr integram poſteritati relinqueret. Hîc verò,ſi quandò aliâs,cęleſtes illæ virtutes Iuſtitia atq; Pax, diuinitùs dilapſæ, ſe mutuò exoſculatæ ſunt. Poſtremò , ſi quidèm vnquàm fuit aùt futurus eſt princeps in *Britannia*, in quo, (inſit modò fides vaticinijs,) *Arthuri* virtutes rediuiuas relucеſcere oportebat,hic certè fuit: in quo generis antiquę nobilitas,& virtutis egregię laus vero *Arthuro* dignę, verè emicuerunt.Cuius rei vt apertius de ſe ſpecimen æderet, quem primùm ex tantis nuptijs ſuſcepit filium,*Arthurum* dici voluit:vt ad antiqui *Arthuri* gloriam quam à patre acceperat,

ne nomen quidèm ipſum in filio deſideraretur. Verũ, quanquàm hic princeps immatura morte occubuit, tamen frater eius nobiliſſimus, *Henricus* octauus, patris virtutum ac nominis, fratris verò ſpei, atq; vtriuſq; imperij hæres ſuperſtes nobis eſt: quo rege fortiſſimo prudentiſſimóq; hodiè fruimur, precamúrque vt ſempèr, ſi natura ferat, aùt ſaltèm prole ex eo heroica frui poſſimus, deniq; nè vnquàm huic regno propago regalis ac legitima ex domo *Theodorica* deficiat. Hęc verò iàm hucuſq; prętèr inſtitutum eò libentiùs proſequuti ſumus, vt imperiorum viciſſitudines, gentiũ tranſitus, familiarũ aſcenſus & deſcenſus, cognomentorũ ortus & interitus intelligamus, & quoniam cùm *Ouidio*

——————ſic tempora verti
Cernimus, atque alias aſſumere robora gentes,
Concidere has:

vt tandem cùm *Seneca* agnoſcamus, nihil eodẽ loco manſiſſe quo genitũ eſt. Verùm nos, quẽadmodùm *Romana* arma in *Britanniam* admiſſa, amplificata, auocata, quod modò propoſitum erat, breuitèr perſtrinximus: vt *Romanorum* iàm in *Britannia* finito imperio, nos quoq;, ſi placet, præſenti diſputationi finem imponamus. Quæ cùm eloquutus eſſet ille: *Wottonus* & *Digonius* aſſenſêre. Et cùm ſol tàm propè abeſſet ab occaſu vt vix antè noctẽ ciuitatẽ attingere poſſemus: impetrata de more venia, iuſſóq; valere ſene, ille diſceſſit, nos *Cantuariã* rectà profecti ſumus.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

FINIS.